








SELECTA


EX


CLASSICIS LATINITATIS AUCTORIBUS,

AD USUM SCHOLARUM SOCIETATIS JESU.



TOMUS PRIMUS.

NEW YORK:
P. J. KENEDY,
PUBLISHER TO THE HOLY SEE,
EXCELSIOR CATHOLIC PUBLISHING HOUSE,
5 BARCLAY STREET,
1900.


HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY

CONTENTS OF VOL. II.

CORNELIUS NEPOS.

	PAGE
Præfatio,	7
Miltiades,	8
Themistocles,	13
Aristides,	19
Pausanias,	21
Cimon,	24
Lysander,	26
Alcibiades,	28
Thrasybulus,	36
Conon,	38
Dion,	41
Iphicrates,	46
Chabrias,	48
Timotheus,	50
Datames,	52
Epaminondas,	59
Pelopidas,	65
Agesilaus,	68
Eumenes,	73
Phocion,	82
Timoleon,	84
De Regibus,	87
Hamilcar	89
Hannibal,	91
Cato,	96
T. Pomponius Atticus,	100

PAGE
EPISTOLÆ SELECTÆ M. T. CICERONIS, ... 114
M. T. CICERONIS CATO MAJOR, SEU DE SENECTUTE DIALOGUS, 135
C. JULII CÆSARIS COMMENTARIA DE BELLO CIVILI, . 165

PHÆDRI FABULÆ.

LIBER QUARTUS.

Prologus, ... 191
1. Asinus et Galli, ... 192
2. De Mustela et Muribus, ... 192
3. Vulpis et Uva, ... 193
4. Equus et Aper, . . 193
5. Pugna Murium Mustelarum, . . . 194
6. Poeta, ... 194
7. Vipera et Lima, ... 195
8. Vulpis et Hircus, ... 196
9. De Vitiis Hominum, ... 196
10. Fur Aram compilans, . . . 197
11. Hercules et Plutus, . . 197
12. Capellæ et Hirci, ... 198
13. Gubernator et Nautæ, ... 198
14. Homo et Colubra, . 199
15. Vulpis et Draco. . 199
16. Phædrus, ... 200
17. Naufragium Simonidis, ... 201
18. Mons parturiens, ... 202
19. Formica et Musca, ... 202
20. Simonides a Diis servatus, . . . 203
Epilogus, . 204

LIBER QUINTUS.

Prologus, ... 205
1. Demetrius et Menander, ... 205
2. Viatores et Latro, ... 206
3. Calvus et Musca, ... 207
4. Homo et Asinus, . . . 207
5. Scurra et Rusticus, ... 208

		PAGE
6.	Duo Calvi,	209
7.	Princeps Tibicen,	209
8.	Occasio depicta,	211
9.	Taurus et Vitulus,	211
10.	Venator et Canis,	211

APPENDIX FABULARUM ÆSOPIARUM X.

1.	Milvus Ægrotans,	212
2.	Lepores Vitæ pertæsi,	213
3.	Leo et Mus,	213
4.	Homo et Arbores,	214
5.	Mus et Rana,	214
6.	Formica et Cicada,	215
7.	Leo et Pastor,	215
8.	Leo Senex et Vulpes,	216
9.	Volucres, Quadrupedes, et Vespertilio,	216
10.	Hœdus et Lupus,	216

OVIDII METAMORPHOSEON.

Mundi Creatio,	218
Icari Mors,	222
Philemon et Baucis,	223
Midas,	226
Certamen inter Ajacem et Ulyssem de Achillis Armis,	228

OVIDII EPISTOLÆ.

Ad Maximum,	239
Ad Rufinum,	241
Ad Uxorum,	244
Ad Maximum,	245

OVIDII TRISTIUM.

Elegia I.,	248
Elegia II.,	251
Elegia III.,	254
Elegia IV.,	257
Elegia V.,	258
Elegia VIII.,	260

OVIDII—EX DIVERSIS LOCIS.

	PAGE
Elegia in mortem Psittaci,	262
Elegia ad Corinnam navigantem,	263
Elegia Tibulli mortem deflet,	265

CATULLI CARMINA.

Ad Cornelium Nepotem,	267
Luctus in morte Passeris,	267
Ad Veranium,	268
Ad Fabullum,	268
Hortorum Deus,	269
Ad Varrum,	269
Ad Furium,	270
Cæcilium invitat,	270
In Egnatium,	271
Ad se ipsum de adventu Veris,	271
Ad Licinium,	273
Ad se ipsum de Struma et Vatinio,	272
Ad Cornelium,	272
In Cominium,	273

TIBULLI ELEGIÆ.

Elegia I. Ad Messalam,	274
Elegia II.,	276
Elegia III.,	278
Elegia IV.,	279

CORNELIUS NEPOS
DE VITA
EXCELLENTIUM IMPERATORUM.

PRÆFATIO.

Non dubito, fore plerosque, *Attice*, qui hoc genus scripturæ leve et non satìs dignum summorum virorum personis judicent, quum relatum legent, quis musicam docuerit Epaminondam; aut in ejus virtutibus commemorari, saltâsse eum commodè, scienterque tibiis cantâsse. Sed hi erunt ferè, qui, expertes litterarum Græcarum, nihil rectum, nisi quod ipsorum moribus conveniat, putabunt. Hi si didicerint, non eadem omnibus esse honesta atque turpia, sed omnia majorum institutis judicari, non admirabuntur, nos in Graiorum virtutibus exponendis mores eorum secutos. Neque enim Cimoni fuit turpe, Atheniensium summo viro, sororem germanam habere in matrimonio, quippe quum cives ejus eodem uterentur instituto. At id quidem nostris moribus nefas habetur. Laudi in Græciâ, ducitur adolescentulis, quàm plurimos habere amatores. Nulla Lacedæmoni tam est nobilis vidua, quæ non ad scenam eat, mercede conducta. Magnis in laudibus totâ fuit Græciâ, victorem Olympiæ citari. In scenam verò prodire et populo esse spectaculo, nemini in eisdem gentibus fuit turpitudini. Quæ omnia apud nos partim infamia, partim humilia atque ab honestate remota, ponuntur. Contra ea, pleraque nostris moribus sunt decora, quæ apud illos turpia putantur. Quem enim Romanorum pudet, uxorem

ducere in convivium? aut cujus mater-familias non primum locum tenet ædium, atque in celebritate versatur? Quod multò fit aliter in Græciâ. Nam neque in convivium adhibetur, nisi propinquorum; neque sedet, nisi in interiore parte ædium, quæ gynæconitis appellatur; quò nemo accedit, nisi propinquâ cognatione conjunctus. Sed hìc plura persequi tum magnitudo voluminis prohibet, tum festinatio, ut ea explicem, quæ exorsus sum. Quare ad propositum veniemus, et in hoc exponemus libro de vitâ *excellentium Imperatorum.*

I. MILTIADES.

I. *Miltiades, Cimonis filius, Atheniensis.* Quum et antiquitate generis, et gloriâ majorum, et suâ modestiâ, unus omnium maximè floreret, eâque esset ætate, ut jam non solùm de eo bene sperare, sed etiam confidere cives possent sui, talem futurum, qualem cognitum judicârunt; accidit, ut Athenienses Chersonesum colonos vellent mittere. Cujus generis quum magnus numerus esset, et multi ejus demigrationis peterent societatem: ex his delecti Delphos deliberatum missi sunt, qui consulerent Apollinem, quo potissimùm duce uterentur. Namque tum Thraces eas regiones tenebant, cum quibus armis erat dimicandum. His consulentibus nominatim Pythia præcepit, ut Miltiadem sibi imperatorem sumerent; id si fecissent, incepta prospera futura. Hoc oraculi responso Miltiades cum delectâ manu classe Chersonesum profectus, quum accessisset Lemnum, et incolas ejus insulæ sub potestatem redigere vellet Atheniensium, idque Lemnii suâ sponte facerent, postulâsset; illi irridentes responderunt, tum id se facturos, quum ille domo navibus proficiscens vento aquilone venisset Lemnum. Hic enim ventus, a septentrionibus oriens, adversùm tenet Athenis proficiscentibus. Miltiades, morandi tempus non habens, cursum direxit, quò tendebat, pervenitque Chersonesum.

II. Ibi brevi tempore barbarorum copiis disjectis, totâ regione, quam petîerat, potitus, loca castellis idonea communivit: multitudinem, quam secum duxerat, in agris collocavit, crebrisque excursionibus locupletavit. Neque minùs in eâ re prudentiâ quàm felicitate adjutus est. Nam quum virtute militum hostium devicisset exercitus, summâ æquitate res constituit, atque ipse ibidem manere decrevit. Erat enim inter eos dignitate regiâ, quamvis carebat nomine; neque id magis imperio, quàm justitiâ, consecutus. Neque eò seciùs Atheniensibus, a quibus erat profectus, officia præstabat. Quibus rebus fiebat, ut non minùs eorum voluntate perpetuò imperium obtineret, qui miserant, quàm illorum, cum quibus erat profectus. Chersoneso tali modo constitutâ, Lemnum revertitur, et ex pacto postulat, ut sibi urbem tradant. Illi enim dixerant, quum vento boreâ domo profectus eò pervenisset, sese dedituros; se autem domum Chersonesi habere. Cares, qui tum Lemnum incolebant, etsi præter opinionem res ceciderat, tamen non dicto, sed secundâ fortunâ adversariorum capti, resistere ausi non sunt, atque ex insulâ demigrârunt. Pari felicitate cæteras insulas, quæ Cyclades nominantur, sub Atheniensium redegit potestatem.

III. Eisdem temporibus Persarum rex Darius, ex Asiâ in Europam exercitu trajecto, Scythis bellum inferre decrevit. Pontem fecit in Histro flumine, quà copias traduceret. Ejus pontis, dum ipse abesset, custodes reliquit principes, quos secum ex Ioniâ et Æolide duxerat; quibus singulis ipsarum urbium perpetua dederat imperia. Sic enim putavit facillimè se Græcâ linguâ loquentes, qui Asiam incolerent, sub suâ retenturum potestate, si amicis suis oppida tuenda tradidisset, quibus se oppresso nulla spes salutis relinqueretur. In hoc fuit tum numero Miltiades, cui illa custodia crederetur. Hìc quum crebri afferrent nuntii, malè rem gerere Darium premique ab Scythis, Miltiades hortatus est pontis custodes, ne a fortunâ datam occasionem liberandæ Græciæ dimitterent. Nam si

cum his copiis, quas secum transportaverat, interîsset Darius, non solùm Europam fore tutam, sed etiam eos, qui Asiam incolerent Græci genere, liberos a Persarum futuros dominatione et periculo. Id facile effici posse. Ponte enim rescisso, Regem vel hostium ferro vel inopiâ paucis diebus interiturum. Ad hoc consilium quum plerique accederent, Histiæus Milesius, ne res conficeretur, obstitit, dicens: non idem ipsis, qui summas imperii tenerent, expedire, et multitudini, quòd Darii regno ipsorum niteretur dominatio; quo extincto, ipsos potestate expulsos civibus suis pœnas daturos. Itaque adeò se abhorrere a cæterorum consilio, ut nihil putet ipsis utilius, quàm confirmari regnum Persarum. Hujus quum sententiam plurimi essent secuti, Miltiades non dubitans, tam multis consciis, ad Regis aures consilia sua perventura, Chersonesum reliquit ac rursus Athenas demigravit. Cujus ratio etsi non valuit, tamen magnopere est laudanda, quum amicior omnium libertati, quàm suæ fuerit dominationi.

IV. Darius autem quum ex Europâ in Asiam redîsset, hortantibus amicis, ut Græciam redigeret in suam potestatem, classem quingentarum navium comparavit, eique Datim præfecit et Artaphernem; hisque ducenta peditum, decem millia equitum, dedit: causam interserens, se hostem esse Atheniensibus, quòd eorum auxilio Iones Sardes expugnâssent, suaque præsidia interfecissent. Illi præfecti Regii, classe ad Eubœam appulsâ, celeriter Eretriam ceperunt, omnesque ejus gentis cives abreptos in Asiam ad Regem miserunt. Inde ad Atticam accesserunt, ac suas copias in campum Marathona deduxerunt. Is abest ab oppido circiter millia passuum decem. Hoc tumultu Athenienses tam propinquo tamque magno permoti, auxilium nusquam nisi a Lacedæmoniis petiverunt, Philippidemque cursorem ejus generis, qui hemerodromi vocantur, Lacedæmonem miserunt, ut nuntiaret, quàm celeri opus esset auxilio. Domi autem creant decem prætores, qui exercitui præessent, in eis

Miltiadem. Inter quos magna fuit contentio, utrùm mœnibus se defenderent, an obviàm irent hostibus acieque decernerent. Unus Miltiades maximè nitebatur, ut primo quoque tempore castra fierent. Id si factum esset, et civibus animum accessurum, quum viderent de eorum virtute non desperari, et hostes eâdem re fore tardiores, si animadverterent, auderi adversùs se tam exiguis copiis dimicare.

V. Hoc in tempore nulla civitas Atheniensibus auxilio fuit præter Platæenses. Ea mille misit militum. Itaque horum adventu decem millia armatorum completa sunt: quæ manus mirabili flagrabat pugnandi cupiditate. Quo factum est, ut plùs, quàm collegæ, Miltiades valuerit. Ejus enim auctoritate impulsi Athenienses copias ex urbe eduxerunt, locoque idoneo castra fecerunt. Deinde postero die sub montis radicibus, acie e regione instructâ, novâ arte, vi summâ prœlium commiserunt. Namque arbores multis locis erant stratæ, hoc consilio, ut et montium tegerentur altitudine, et arborum tractu equitatus hostium impediretur, ne multitudine clauderentur. Datis etsi non æquum locum videbat suis, tamen, fretus numero copiarum suarum, confligere cupiebat; eòque magis, quòd, priusquam Lacedæmonii subsidio venirent, dimicare utile arbitrabatur. Itaque in aciem peditum centum, equitum decem millia produxit, prœliumque commisit: in quo tantò plùs virtute valuerunt Athenienses, ut decemplicem numerum hostium profligârint; adeòque perterruerunt, ut Persæ non castra, sed naves petîerint. Quâ pugnâ nihil adhuc est nobilius. Nulla enim unquam tam exigua manus tantas opes prostravit.

VI. Cujus victoriæ, non alienum videtur, quale præmium Miltiadi si tributum, docere, quò faciliùs intelligi possit, eandem omnium civitatum esse naturam. Ut enim populi nostri honores quondam fuerunt rari et tenues, ob eamque causam gloriosi, nunc autem effusi atque obsoleti; sic olim apud Athenienses fuisse reperimus. Namque huic Miltia-

di, qui Athenas totamque Græciam liberârat, talis honos tributus est in porticu, quæ Pœcile vocatur, quum pugna depingeretur Marathonia, ut in decem prætorum numero prima ejus imago poneretur, isque hortaretur milites, prœliumque committeret. Idem ille populus, posteaquam majus imperium est nactus, et largitione magistratuum corruptus est, trecentas statuas Demetrio Phalereo decrevit.

VII. Post hoc prœlium classem septuaginta navium Athenienses eidem Miltiadi dederunt, ut insulas, quæ barbaros adjuverant, bello persequeretur. Quo imperio plerasque ad officium redire coëgit, nonnullas vi expugnavit. Ex his Parum insulam, opibus elatam, quum oratione reconciliare non posset, copias e navibus eduxit, urbem operibus clausit omnique commeatu privavit; deinde vineis ac testudinibus constitutis, propiùs muros accessit. Quum jam in eo esset, ut oppido potiretur, procul in continenti lucus, qui ex insulâ conspiciebatur, nescio quo casu nocturno tempore incensus est. Cujus flamma ut ab oppidanis et oppugnatoribus est visa, utrisque venit in opinionem, signum a classiariis Regiis datum. Quo factum est, ut et Parii a deditione deterrerentur, et Miltiades, timens ne classis Regia adventaret, incensis operibus quæ statuerat, cum totidem navibus atque erat profectus, Athenas magnâ cum offensione civium suorum rediret. Accusatus ergo proditionis, quòd, quum Parum expugnare posset, a rege corruptus infectis rebus discessisset. Eo tempore æger erat vulneribus, quæ in oppugnando oppido acceperat. Itaque quoniam ipse pro se dicere non posset, verba pro eo fecit frater ejus Tisagoras. Causâ cognitâ, capitis absolutus, pecuniâ multatus est, eaque lis quinquaginta talentis æstimata est, quantus in classem sumptus factus erat. Hanc pecuniam quòd solvere in præsentiâ non poterat, in vincula publica conjectus est, ibique diem obiit supremum.

VIII. Hic etsi crimine Pario est accusatus, tamen alia fuit causa damnationis. Namque Athenienses

propter Pisistrati tyrannidem, quæ paucis annis antè fuerat, omnium suorum civium potentiam extimescebant. Miltiades, multùm in imperiis magistratibusque versatus, non videbatur posse esse privatus, præsertim quum consuetudine ad imperii cupiditatem trahi videretur. Nam Chersonesi omnes illos, quos habitârat, annos perpetuam obtinuerat dominationem, *tyrannusque* fuerat appellatus, sed justus. Non erat enim vi consecutus, sed suorum voluntate, eamque potestatem bonitate retinuerat. Omnes autem et habentur et dicuntur *tyranni*, qui potestate sunt perpetuâ in eâ civitate, quæ libertate usa est. Sed in Miltiade erat quum summa humanitas, tum mira comitas, ut nemo tam humilis esset, cui non ad eum aditus pateret; magna auctoritas apud omnes civitates, nobile nomen, laus rei militaris maxima. Hæc populus respiciens maluit eum innoxium plecti, quàm se diutiùs esse in timore.

II. THEMISTOCLES.

I. *Themistocles*, *Neocli filius*, *Atheniensis*. Hujus vitia ineuntis adolescentiæ magnis sunt emendata virtutibus, adeò ut anteferatur huic nemo, pauci pares putentur. Sed ab initio est ordiendum. Pater ejus Neocles generosus fuit. Is uxorem Acharnanam, civem, duxit, ex quâ natus est Themistocles. Qui quum minùs esset probatus parentibus, quòd et liberiùs vivebat et rem familiarem negligebat, a patre exhæredatus est. Quæ contumelia non fregit eum sed erexit. Nam quum judicâsset, sine summâ industriâ non posse eam extingui, totum se dedidit reipublicæ, diligentiùs amicis famæque serviens. Multùm in judiciis privatis versabatur; sæpè in concionem populi prodibat; nulla res major sine eo gerebatur, celeriterque quæ opus erant reperiebat; neque minùs in rebus gerendis promptus, quàm excogitandis, erat, quòd et de instantibus (ut ait Thucydides) verissimè judicabat, et de futuris callidissimè conjiciebat. Quo factum est, ut brevi tempore illustraretur.

II. Primus autem gradus fuit capessendæ reipublicæ bello Corcyræo. Ad quod gerendum prætor a populo factus, non solùm præsenti bello sed etiam reliquo tempore ferociorem reddidit civitatem. Nam quum pecunia publica, quæ ex metallis redibat, largitione magistratuum quotannis interiret, ille persuasit populo, ut eâ pecuniâ classis centum navium ædificaretur. Quâ celeriter effectâ, primùm Corcyræos fregit, deinde maritimos prædones consectando mare tutum reddidit. In quo tum divitiis ornavit, tum etiam peritissimos belli navalis fecit Athenienses. Id quantæ saluti fuerit universæ Græciæ, bello cognitum est Persico, quum Xerxes et mari et terrâ bellum universæ inferret Europæ cum tantis copiis, quantas neque antea neque postea habuit quisquam. Hujus enim classis mille et ducentarum navium longarum fuit, quam duo millia onerariarum sequebantur; terrestres autem exercitus septingentorum millium peditum, equitum quadringentorum millium fuerunt. Cujus de adventu quum fama in Græciam esset perlata, et maximè Athenienses peti dicerentur propter pugnam Marathoniam; miserunt Delphos consultum, quidnam facerent de rebus suis. Deliberantibus Pythia respondit, ut mœnibus ligneis se munirent. Id responsum quò valeret quum intelligeret nemo, Themistocles persuasit, consilium esse Apollinis, ut in naves se suaque conferrent; eum enim a deo significari murum ligneum. Tali consilio probato, addunt ad superiores totidem naves triremes, suaque omnia quæ moveri poterant, partim Salamina partim Trœzena asportant; arcem sacerdotibus paucisque majoribus natu, ac sacra procuranda tradunt; reliquum oppidum relinquunt.

III. Hujus consilium plerisque civitatibus displicebat, et in terrâ dimicari magis placebat. Itaque missi sunt delecti cum Leonidâ, Lacedæmoniorum rege, qui Thermopylas occuparent, longiùsque barbaros progredi non paterentur. Hi vim hostium non sustinuerunt, eoque loco omnes interierunt. At classis

communis Græciæ trecentarum navium, in quâ ducentæ erant Atheniensium, primùm apud Artemisium, inter Eubœam continentemque terram, cum classiariis Regis conflixit. Angustias enim Themistocles quærebat, ne multitudine circumiretur. Hìc etsi pari prœlio discesserant, tamen eodem loco non sunt ausi manere: quòd erat periculum, ne, si pars navium adversariorum Eubœam superâsset, ancipiti premerentur periculo. Quo factum est, ut ab Artemisio discederent, et exadversum Athenas apud Salamina classem suam constituerent.

IV. At Xerxes, Thermopylis expugnatis, protinus accessit astu, idque nullis defendentibus, interfectis sacerdotibus quos in arce invenerat, incendio delevit. Cujus famâ perterriti classiarii quum manere non auderent, et plurimi hortarentur, ut domos suas discederent, mœnibusque se defenderent; Themistocles unus restitit, et universos pares esse posse aiebat, dispersos testabatur perituros; idque Eurybiadi, regi Lacedæmoniorum, qui tum summæ imperii præerat, fore affirmabat. Quem quum minùs, quàm vellet, moveret, noctu, de servis suis quem habuit fidelissimum, ad Regem misit, ut ei nuntiaret suis verbis, adversarios ejus in fugâ esse. Qui si discessissent, majore cum labore et longinquiore tempore bellum confecturum, quum singulos consectari cogeretur; quos si statim aggrederetur, brevi universos oppressurum. Hoc eò valebat, ut ingratiis ad depugnandum omnes cogerentur. Hàc re auditâ, Barbarus, nihil doli subesse credens, postridie alienissimo sibi loco, contra opportunissimo hostibus, adeò angusto mari conflixit, ut ejus multitudo navium explicari non potuerit. Victus ergo est magis consilio Themistoclis, quàm armis Græciæ.

V. Hic esti malè rem gesserat, tamen tantas habebat reliquias copiarum, ut etiam cum his opprimere posset hostes. Interim ab eodem, gradu depulsus est. Nam Themistocles verens, ne bellare perseveraret, certiorem eum fecit, id agi, ut pons, quem ille in Hellesponto fecerat, dissolveretur, ac reditu in Asiam exclu-

deretur; idque ei persuasit. Itaque quâ sex mensibus iter fecerat, eâdem minùs diebus triginta in Asiam reversus est, seque a Themistocle non superatum sed conservatum judicavit. Sic unius viri prudentiâ Græcia liberata est, Europæque succubuit Asia. Hæc altera victoria, quæ cum Marathonio possit comparari tropæo. Nam pari modo apud Salamina parvo numero navium maxima post hominum memoriam classis est devicta.

VI. Magnus hoc bello Themistocles fuit, nec minor in pace. Quum enim Phalerico portu, neque magno neque bono, Athenienses uterentur; hujus consilio triplex Piræi portus constitutus est, isque mœnibus circumdatus, ut ipsam urbem dignitate æquipararet, utilitate superaret. Idemque muros Atheniensium restituit præcipuo periculo suo. Namque Lacedæmonii causam idoneam nacti propter Barbarorum excursiones, quâ negarent oportere extra Peloponnesum ullam urbem haberi, ne essent loca munita quæ hostes possiderent, Athenienses ædificantes prohibere sunt conati. Hoc longè aliò spectabat, atque videri volebant. Athenienses enim duabus victoriis, Marathoniâ et Salaminiâ, tantam gloriam apud omnes gentes erant consecuti, ut intelligerent Lacedæmonii, de principatu sibi cum his certamen fore. Quare eos quàm infirmissimos esse volebant. Postquam autem audîerunt, muros instrui, legatos Athenas miserunt, qui id fieri vetarent. His præsentibus desîerunt, ac se de eâ re legatos ad eos missuros dixerunt. Hanc legationem suscepit Themistocles, et solus primò profectus est. Reliqui legati ut tum exirent, quum satìs altitudo muri extructa videretur, præcepit. Interim omnes, servi atque liberi, opus facerent, neque ulli loco parcerent, sive sacer esset sive profanus, sive privatus sive publicus, et undique, quod idoneum ad muniendum putarent, congererent. Quo factum est, ut Atheniensium muri ex sacellis sepulcrisque constarent.

VII. Themistocles autem, ut Lacedæmonem venit, adire ad magistratus noluit, et dedit operam ut quàm

longissimè tempus duceret, causam interponens, se collegas expectare. Quum Lacedæmonii quererentur, opus nihilominus fieri, eumque in eâ re conari fallere; interim reliqui legati sunt consecuti. A quibus quum audîsset, non multum superesse munitionis, ad Ephoros Lacedæmoniorum accessit, penes quos summum imperium erat; atque apud eos contendit, falsa his esse delata; quare æquum esse, illos viros bonos nobilesque mittere, quibus fides haberetur, qui rem explorarent; interea se obsidem retinerent. Gestus est ei mos, tresque legati, functi summis honoribus, Athenas missi sunt. Cum his collegas suos jussit proficisci, eisque prædixit, ut ne priùs Lacedæmoniorum legatos dimitterent, quàm ipse esset remissus. Hos postquam Athenas pervenisse ratus est, ad magistratum senatumque Lacedæmoniorum adiit, et apud eos liberrimè professus est: 'Athenienses suo consilio, quod communi jure gentium facere possent, Deos publicos suosque patrios ac penates, quò faciliùs ab hoste possent defendere, muris sepsisse, neque eo, quod inutile esset Græciæ, fecisse. Nam illorum urbem ut propugnaculum oppositum esse Barbaris, apud quam jam bis classes Regias fecisse naufragium. Lacedæmonios autem malè et injustè facere, qui id potiùs intuerentur, quod ipsorum dominationi, quàm quod universæ Græciæ, utile esset. Quare si suos legatos recipere vellent, quos Athenas miserant, se remitterent, aliter illos nunquam in patriam recepturi.'

VIII. Tamen non effugit civium suorum invidiam Namque ob eundem timorem, quo damnatus erat Miltiades, testarum suffragiis e civitate ejectus, Argos habitatum concessit. Hìc quum propter multas virtutes magnâ cum dignitate viveret, Lacedæmonii legatos Athenas miserunt, qui eum absentem accusarent, quòd societatem cum Rege Persarum ad Græciam opprimendam fecisset. Hoc crimine absens proditionis est damnatus. Id ut audivit, quòd non satìs tutum se Argis videbat, Corcyram demigravit. Ibi quum ejus principes civitatis animadvertisset timere,

ne propter se bellum his Lacedæmonii et Athenienses indicerent; ad Admetum, Molossorum regem, cum quo ei hospitium fuerat, confugit. Huc quum venisset, et in præsentiâ rex abesset; quò majore religione se receptum tueretur, filiam ejus parvulam arripuit, et cum eâ se in sacrarium, quod summâ colebatur cæremoniâ, conjecit. Inde priùs egressus non est, quàm rex eum datâ dextrâ in fidem reciperet: quam præstitit. Nam quum ab Atheniensibus et Lacedæmoniis exposceretur publicè, supplicem non prodidit, monuitque, 'ut consuleret sibi. Difficile enim esse, in tam propinquo loco tutò eum versari.' Itaque Pydnam eum deduci jussit, et, quod satìs esset præsidii, dedit. Hic in navem omnibus ignotus ascendit. Quæ quum tempestate maximâ Naxum ferretur, ubi tum Atheniensium erat exercitus; sensit Themistocles, si eò pervenisset, sibi esse pereundum. Hâc necessitate coactus, domino navis, qui sit, aperit, multa pollicens, si se conservâsset. At ille clarissimi viri captus misericordiâ, diem noctemque procul ab insulâ in salo navem tenuit in ancoris, neque quenquam ex eâ exire passus est. Inde Ephesum pervenit, ibique Themistoclem exponit: cui ille pro meritis gratiam postea retulit.

IX. Scio plerosque ita scripsisse, Themistoclem, *Xerxe* regnante, in Asiam transiisse. Sed ego potissimùm Thucydidi credo, quòd ætate proximus erat, qui illorum temporum historiam reliquerunt, et ejusdem civitatis fuit. Is autem ait, ad *Artaxerxem* eum venisse, atque his verbis epistolam misisse. "Themistocles veni ad te, qui plurima mala omnium Graiorum in domum tuam intuli, quum mihi necesse fuit, adversùm patrem tuum bellare, patriamque meam defendere. Idem multò plura bona feci, postquam in tuto ipse, et ille in periculo esse cœpit. Nam quum in Asiam reverti vellet, prœlio apud Salamina facto, litteris eum certiorem feci, id agi ut pons, quem in Hellesponto fecerat, dissolveretur, atque ab hostibus circumiretur. Quo nuntio ille periculo est liberatus. Nunc confugi ad te, exagitatus a cunctâ Græciâ, tuam

petens amicitiam. Quam si ero adeptus, non minùs me bonum amicum habebis, quàm fortem inimicum ille expertus est. Ea autem rogo, ut de his rebus, quas tecum colloqui volo, annum mihi temporis des, eoque transacto, me ad te venire patiaris."

X. Hujus Rex animi magnitudinem admirans, cupiensque talem virum sibi conciliari, veniam dedit. Ille omne id tempus litteris sermonique Persarum dedit; quibus adeò eruditus est, ut multò commodiùs dicatur apud Regem verba fecisse, quàm hi poterant, qui in Perside erant nati. Hic quum multa Regi esset pollicitus, gratissimumque illud, si suis uti consiliis vellet, illum Græciam bello oppressurum; magnis muneribus ab Artaxerxe donatus, in Asiam rediit, domiciliumque Magnesiæ sibi constituit. Namque hanc urbem ei Rex donârat, his usus verbis; 'quæ ei panem præberet (ex quâ regione quinquaginta talenta quotannis redibant;) Lampsacum, unde vinum sumeret; Myunta, ex quâ opsonium haberet.' Hujus ad nostram memoriam monumenta manserunt duo: sepulcrum prope oppidum, in quo est sepultus; statuæ in foro Magnesiæ. De cujus morte multimodis apud plerosque scriptum est; sed nos eundem potissimùm Thucydidem auctorem probamus, qui illum ait Magnesiæ morbo mortuum; neque negat, fuisse famam, venenum suâ sponte sumpsisse, quum se, quæ Regi de Græciâ opprimendâ pollicitus esset, præstare posse desperaret. Idem, ossa ejus clam in Atticâ ab amicis sepulta, quoniam legibus non concederetur, quòd proditionis esset damnatus, memoriæ prodidit.

III. ARISTIDES.

I. *Aristides*, *Lysimachi filius*, *Atheniensis*, æqualis ferè fuit Themistocli. Itaque cum eo de principatu contendit; namque obtrectârunt inter se. In his autem cognitum est, quantò antestaret eloquentia innocentiæ. Quanquam enim adeò excellebat Aristi-

des abstinentiâ, ut unus post hominum memoriam, quod quidem nos audîerimus, cognomine JUSTUS sit appellatus; tamen a Themistocle collabefactus testulâ illâ, exilio decem annorum multatus est. Qui quidem quum intelligeret, reprimi concitatam multitudinem non posse, cedensque animadverteret quendam scribentem, ut patriâ pelleretur, quæsisse ab eo dicitur, quare id faceret, aut quid Aristides commisisset, cur tantâ pœnâ dignus duceretur. Cui ille respondit, se ignorare Aristidem, sed sibi non placere, quòd tam cupidè elaborâsset, ut præter cæteros Justus appellaretur. Hic decem annorum legitimam pœnam non pertulit. Nam postquam Xerxès in Græciam descendit, sexto ferè anno, quàm erat expulsus, populiscito in patriam restitutus est.

II. Interfuit autem pugnæ navali apud Salamina, quæ facta est priùs, quàm pœnâ liberaretur. Idem prætor fuit Atheniensium apud Platæas in prœlio, quo Mardonius fusus, Barbarorumque exercitus interfectus est. Neque aliud est ullum hujus in re militari illustre factum, quàm hujus imperii memoria; justitiæ verò et æquitatis et innocentiæ multa: in primis, quòd ejus æquitate factum est, quum in communi classe esset Græciæ simul cum Pausaniâ, quo duce Mardonius erat fugatus, ut summa imperii maritimi ab Lacedæmoniis transferretur ad Athenienses. Namque ante id tempus et mari et terrâ duces erant Lacedæmonii. Tum autem et intemperantiâ Pausaniæ et justitiâ factum est Aristidis, ut omnes ferè civitates Græciæ ad Atheniensium societatem se applicarent, et adversùs Barbaros hos duces deligerent sibi, quò faciliùs repellerent, si fortè bellum renovare conarentur.

III. Ad classes ædificandas exercitusque comparandos quantum pecuniæ quæque civitas daret, Aristides delectus est, qui constitueret. Ejus arbitrio quadringena et sexagena talenta quotannis Delum sunt collata. Id enim commune ærarium esse voluerunt. Quæ omnis pecunia postero tempore Athenas translata est. Hic quâ fuerit abstinentiâ, nullum est cer-

tius indicium, quam quòd, quum tantis rebus præfuisset, in tantâ paupertate decessit, ut, quî efferretur, vix reliquerit. Quo factum est, ut filiæ ejus publicè alerentur, et de communi ærario dotibus datis collocarentur. Decessit autem ferè post annum quartum, quàm Themistocles Athenis erat expulsus.

IV. PAUSANIAS.

I. *Pausanias*, *Lacedæmonius*, magnus homo, sed varius in omni genere vitæ fuit. Nam ut virtutibus eluxit, sic vitiis est obrutus. Hujus illustrissimum est prœlium apud Platæas. Namque illo duce Mardonius, satrapes Regius, natione Medus, Regis gener, in primis omnium Persarum et manu fortis et consilii plenus, cum ducentis millibus peditum, quos viritim legerat, et viginti millibus equitum, haud ita magnâ manu Græciæ fugatus est, eoque ipse dux cecidit prœlio. Quâ victoriâ elatus plurima miscere cœpit, et majora concupiscere. Sed primùm in eo est reprehensus, quòd ex prædâ tripodem aureum Delphis posuisset, epigrammate scripto, in quo erat hæc sententia: *Suo ductu Barbaros apud Platæas esse deletos, ejusque victoriæ ergo Apollini donum dedisse.* Hos versus Lacedæmonii exculpserunt, neque aliud scripserunt, quàm nomina earum civitatum, quarum auxilio Persæ erant victi.

II. Post id prœlium eundem Pausaniam cum classe communi Cyprum atque Hellespontum miserunt, ut ex his regionibus Barbarorum præsidia depelleret. Pari felicitate in eâ re usus elatiùs se gerere cœpit, majoresque appetere res. Nam quum, Byzantio expugnato, cepisset complures Persarum nobiles, atque in his nonnullos Regis propinquos, hos clam Xerxi remisit, simulans ex vinculis publicis effugisse; et cum his Gongylum Eretriensem, qui litteras Regi redderet, in quibus hæc fuisse scripta, Thucydides memoriæ prodidit: "Pausanias, dux Spartæ, quos Byzantii ceperat, postquam propinquos tuos cognovit,

tibi muneri misit, seque tecum affinitate conjungi cupit: quare, si tibi videtur, des ei filiam tuam nuptum. Id si feceris, et Spartam et cæteram Græciam sub tuam potestatem se, adjuvante te, redacturum pollicetur. His de rebus si quid geri volueris, certum hominem ad eum mittas face, cum quo colloquatur." Rex tot hominum salute, tam sibi necessariorum, magnopere gavisus, confestim cum epistolâ Artabazum ad Pausaniam mittit, in quâ eum collaudat, ac petit, necui rei parcat ad ea perficienda quæ pollicetur. Si fecerit, nullius rei a se repulsam laturum. Hujus Pausanias voluntate cognitâ, alacrior ad rem gerendam factus, in suspicionem cecidit Lacedæmoniorum. In quo facto domum revocatus, accusatus capitis, absolvitur, multatur tamen pecuniâ: quam ob causam ad classem remissus non est.

III. At ille pòst non multò suâ sponte ad exercitum rediit, et ibi non callidâ sed dementi ratione cogitata patefecit. Non enim mores patrios solùm, sed etiam cultum vestitumque mutavit. Apparatu regio utebatur, veste Medicâ; satellites Medi et Ægyptii sequebantur; epulabatur more Persarum, luxuriosiùs, quàm, qui aderant, perpeti possent. Aditum petentibus conveniendi non dabat; superbè respondebat, et crudeliter imperabat. Spartam redire nolebat. Colonas, qui locus in agro Troade est, se contulerat. Ibi consilia quum patriæ tum sibi inimica capiebat. Id postquam Lacedæmonii rescîerunt, legatos ad eum cum scytalâ miserunt, in quâ more illorum erat scriptum: *nisi domum reverteretur, se capitis eum damnaturos*. Hoc nuntio commotus, sperans, se etiam tum pecuniâ et potentiâ instans periculum posse depellere, domum rediit. Huc ut venit, ab Ephoris in vincula publica conjectus est. Licet enim, legibus eorum, cuivis Ephoro, hoc facere regi. Hinc tamen se expedivit; neque eo magis carebat suspicione. Nam opinio manebat, eum cum Rege habere societatem. Est genus quoddam hominum, quod Helotes vocatur, quorum magna multitudo

agros Lacedæmoniorum colit, servorumque munere fungitur. Hos quoque solicitare spe libertatis existimabatur. Sed quòd harum rerum nullum erat apertum crimen, quo argui posset, non putabant, de tali tamque claro viro suspicionibus oportere judicari, et expectandum, dum se ipsa res aperiret.

IV. Interim Argilius quidam, adolescentulus, quem puerum Pausanias amore venereo dilexerat, quum epistolam ab eo ad Artabazum accepisset, eique in suspicionem venisset, aliquid in eâ de se esse scriptum, quòd nemo eorum rediisset, qui super tali causâ eòdem missi erant, vincula epistolæ laxavit, signoque detracto cognovit, si pertulisset, sibi esse pereundum. Erant in eâdem epistolâ, quæ ad ea pertinebant, quæ inter Regem Pausaniamque convenerant. Has ille litteras Ephoris trâdidit. Non est prætereunda gravitas Lacedæmoniorum hoc loco. Nam ne hujus quidem indicio impulsi sunt, ut Pausaniam comprehenderent; neque priùs vim adhibendam putaverunt, quàm se ipse indicâsset. Itaque huic indici, quid fieri vellent, præceperunt. Fanum Neptuni est Tænari, quod violari nefas putant Græci. Eò ille index confugit; in arâ consedit. Hanc juxta locum fecerunt sub terrâ, ex quo posset audiri, si quis quid loqueretur cum Argilio. Huc ex Ephoris quidam descenderunt. Pausanias ut audivit, Argilium confugisse in aram, perturbatus eò venit. Quem quum supplicem Dei videret in arâ sedentem, quærit, causæ quid sit tam repentino consilio. Huic ille, quid ex litteris comperisset, aperit. Tantò magis Pausanias perturbatus orare cœpit, ne enuntiaret, nec se, meritum de illo optimè, proderet. Quòd si eam veniam sibi dedisset, tantisque implicitum rebus sublevâsset, magno esse ei præmio futurum.

V. His rebus Ephori cognitis satius putaverunt, in urbe eum comprehendi. Quò quum essent profecti, et Pausanias, placato Argilio, ut putabat, Lacedæmonem reverteretur; in itinere, quum jam in eo esset, ut comprehenderetur, e vultu cujusdam Ephori qui

eum admonere cupiebat, insidias sibi fieri intellexit. Itaque paucis antè gradibus, quàm qui sequebantur, in ædem Minervæ, quæ Chalciœcus vocatur, confugit. Hinc ne exire posset, statim Ephori valvas ejus ædis obstruxerunt, tectumque sunt demoliti, quò faciliùs sub divo interiret. Dicitur eo tempore matrem Pausaniæ vixisse, eamque jam magno natu, postquam de scelere filii comperit, in primis ad filium claudendum lapidem ad introïtum ædis attulisse. Sic Pausanias magnam belli gloriam turpi morte maculavit. Hic quum semianimis de templo elatus esset, confestim animam efflavit. Cujus mortui corpus quum eòdem nonnulli dicerent inferri oportere, quò hi, qui ad supplicium essent dati: displicuit pluribus et procul ab eo loco infoderunt, quo erat mortuus. Inde posteriùs Dei Delphici responso erutus atque eodem loco sepultus, ubi vitam posuerat.

V. CIMON.

I. *Cimon, Miltiadis filius, Atheniensis*, duro admodum initio usus est adolescentiæ. Nam, quum pater ejus litem æstimatam populo solvere non potuisset, ob eamque causam in vinculis publicis decessisset, Cimon eâdem custodiâ tenebatur, neque legibus Atheniensium emitti poterat, nisi pecuniam, quâ pater multatus esset, solvisset. Habebat autem in matrimonio sororem germanam suam, nomine Elpinicen, non magis amore, quàm more ductus. Nam Atheniensibus licet, eodem patre natas, uxores ducere. Hujus conjugii cupidus Callias quidam, non tam generosus quàm pecuniosus, qui magnas pecunias ex metallis fecerat, egit cum Cimone, ut eam sibi uxorem daret. Id si impetrâsset, se pro illo pecuniam soluturum. Is quum talem conditionem aspernaretur, Elpinice negavit, se passuram, Miltiadis progeniem in vinculis publicis interire, quoniam prohibere posset, seque Calliæ nupturam, si ea, quæ polliceretur, præstitisset.

II. Tali modo custodiâ liberatus Cimon celeriter ad principatum pervenit. Habebat enim satìs eloquentiæ, summam liberalitatem, magnam prudentiam quum juris civilis, tum rei militaris, quod cum patre a puero in exercitibus fuerat versatus. Itaque hic et populum urbanum in sua tenuit potestate, et apud exercitum plurimùm valuit auctoritate. Primùm imperator apud flumen Strymona magnas copias Thracum fugavit, oppidum Amphipolim constituit, eòque decem millia Atheniensium in coloniam misit. Idem iterum apud Mycalen Cypriorum et Phœnicum ducentarum navium classem devictam cepit; eodemque die pari fortunâ in terrâ usus est. Namque hostium navibus captis, statim ex classe copias suas eduxit, barbarorumque uno concursu maximam vim prostravit. Quâ victoriâ magnâ prædâ potitus quum domum reverteretur, quòd jam nonnullæ insulæ propter acerbitatem imperii defecerant, bene animatas confirmavit, alienatas ad officium redire coëgit. Scyrum, quam eo tempore Dolopes incolebant, quòd contumaciùs se gesserant, vacuefecit, sessores veteres urbe insulâque ejecit, agros civibus divisit. Thasios opulentiâ fretos suo adventu fregit. His ex manubiis Athenarum arx, quà ad meridiem vergit, est ornata.

III. Quibus rebus quum unus in civitate maximè floreret, incidit in eandem invidiam, quam pater suus, cæterique Atheniensium principes. Nam testarum suffragiis, quod illi ostracismum vocant, decem annorum exilio multatus est. Cujus facti celeriùs Athenienses, quàm ipsum, pœnituit. Nam quum ille forti animo invidiæ ingratorum civium cessisset, bellumque Lacedæmonii Atheniensibus indixissent; confestim notæ ejus virtutis desiderium consecutum est. Itaque post annum quintum, quàm expulsus erat, in patriam revocatus est. Ille, quòd hospitio Lacedæmoniorum utebatur, satius existimans, contendere Lacedæmonem, suâ sponte est profectus, pacemque inter duas potentissimas civitates conciliavit. Pòst, neque ita multò, Cyprum cum ducentis navibus imperator missus, quum

ejus majorem partem insulæ devicisset, in morbum implicitus in oppido Citio est mortuus.

IV. Hunc Athenienses non solùm in bello, sed in pace diu desideraverunt. Fuit enim tantâ liberalitate, quum compluribus locis prædia hortosque haberet, ut nunquam in eis custodem imposuerit fructûs servandi gratiâ, ne quis impediretur, quò minùs ejus rebus, quibus quisque vellet, frueretur. Semper eum pedisequi cum nummis sunt secuti, ut, si quis opis ejus indigeret, haberet, quod statim daret, ne differendo videretur negare. Sæpè quum aliquem offensum fortunâ videret minùs bene vestitum, suum amiculum dedit. Quotidie sic cœna ei coquebatur, ut, quos invocatos vidisset in foro, omnes devocaret: quod facere nullum diem prætermittebat. Nulli fides ejus, nulli opera, nulli res familiaris defuit; multos locupletavit; complures pauperes mortuos, qui, unde efferrentur, non reliquissent, suo sumptu extulit. Sic se gerendo, minimè est mirandum, si et vita ejus fuit secura, et mors acerba.

VI. LYSANDER.

I. *Lysander*, *Lacedæmonius*, magnam reliquit sui famam, magis felicitate quàm virtute partam. Athenienses enim in Peloponnesios sexto et vicesimo anno bellum gerentes confecisse apparet. Id quâ ratione consecutus sit, latet. Non enim virtute sui exercitûs, sed immodestiâ factum est adversariorum, qui, quòd dicto audientes imperatoribus suis non erant, dispalati in agris, relictis navibus in hostium venerunt potestatem. Quo facto Athenienses se Lacedæmoniis dediderunt. Hâc victoriâ Lysander elatus, quum antea semper factiosus audaxque fuisset, sic sibi indulsit, ut ejus operâ in maximum odium Græciæ Lacedæmonii pervenerint. Nam quum hanc causam Lacedæmonii dictitâssent sibi esse belli, ut Atheniensium impotentem dominationem refringerent, postquam apud Ægos flumen Lysander classis hostium est potitus, nihil

aliud molitus est, quàm ut omnes civitates in suâ teneret potestate, quum id se Lacedæmoniorum causâ facere simularet. Namque undique, qui Atheniensium rebus studuissent, ejectis, decem delegerat in unaquâque civitate, quibus summum imperium potestatemque omnium rerum committeret. Horum in numerum nemo admittebatur, nisi qui aut ejus hospitio contineretur, aut se illius fore proprium fide confirmârat.

II. Ita decemvirali potestate in omnibus urbibus constitutâ, ipsius nutu omnia gerebantur. Cujus de crudelitate ac perfidiâ satìs est, unam rem, exempli gratiâ, proferre, ne de eodem plura enumerando defatigemus lectorem. Victor ex Asiâ quum reverteretur, Thasumque devertisset, quòd ea civitas præcipuâ fide fuerat erga Athenienses, proinde ac si iidem firmissimi solerent esse amici, qui constantes fuissent inimici, eam pervertere concupivit. Vidit autem, nisi in eo occultâsset voluntatem, futurum, ut Thasii dilaberentur, consulerentque rebus suis * * *

III. * * * hi decemviralem [suam] potestatem ab eo constitutam sustulerunt. Quo dolore incensus iniit consilia, reges Lacedæmoniorum tollere. Sed sentiebat, id se sine ope deorum facere non posse, quòd Lacedæmonii omnia ad oracula referre consueverant. Primùm Delphos corrumpere est conatus. Quum id non potuisset, Dodonam adortus est. Hinc quoque repulsus dixit se vota suscepisse, quæ Jovi Hammoni solveret: existimans, se Afros faciliùs corrupturum. Hâc spe quum profectus esset in Africam, multùm eum antistites Jovis fefellerunt. Nam non solùm corrumpi non potuerunt, sed etiam legatos Lacedæmona miserunt, qui Lysandrum accusarent, quòd sacerdotes fani corrumpere conatus esset. Accusatus hoc crimine, judicum absolutus sententiis, Orchomeniis missus subsidio, occisus est a Thebanis apud Haliartum. Quàm verè de eo foret judicatum, oratio indicio fuit, quæ post mortem in domo ejus reperta est, in quâ suadet Lacedæmoniis, ut, regiâ potestate dissolutâ, ex omnibus dux deligatur ad bellum gerendum;

sed ita scripta, ut deorum videretur congruere sententiæ, quam ille se habiturum pecuniâ fidens non dubitabat. Hanc ei scripsisse Cleon Halicarnasseus dicitur.

IV. Atque hoc loco non est prætereundum factum Pharnabazi, satrapis Regii. Nam quum Lysander præfectus classis in bello multa crudeliter avarèque fecisset, deque his rebus suspicaretur ad cives suos esse perlatum, petiit a Pharnabazo, ut ad Ephoros sibi testimonium daret, quantâ sanctitate bellum gessisset, sociosque tractâsset, deque eâ re accuratè scriberet; magnam enim ejus auctoritatem in eâ re futuram. Huic ille liberaliter pollicetur. Librum gravem multis verbis conscripsit, in quo summis eum fert laudibus. Quem quum legisset probâssetque, dum obsignatur, alterum pari magnitudine, tantâ similitudine, ut discerni non posset, signatum subjecit, in quo accuratissimè ejus avaritiam perfidiamque accusârat. Hinc Lysander domum quum redîsset, postquam de suis rebus gestis apud maximum magistratum, quæ voluerat, dixerat, testimonii loco librum a Pharnabazo datum tradidit. Hunc, submoto Lysandro, quum Ephori cognôssent, ipsi legendum dederunt. Ita ille imprudens ipse suus fuit accusator.

VII. ALCIBIADES.

I. *Alcibiades, Cliniæ filius, Atheniensis.* In hoc natura, quid efficere possit, videtur experta. Constat enim inter omnes, qui de eo memoriæ prodiderunt, nihil eo fuisse excellentius, vel in vitiis vel in virtutibus. Natus in amplissimâ civitate, summo genere, omnium ætatis suæ multò formosissimus, ad omnes res aptus, consiliique plenus. Namque imperator fuit summus et mari et terrâ; disertus, ut imprimis dicendo valeret, quòd tanta erat commendatio oris atque orationis, ut nemo ei dicendo posset resistere; dives; quum tempus posceret, laboriosus, patiens; liberalis; splendidus, non minùs in vitâ quàm in victu; affabilis, blandus, temporibus callidissimè in-

serviens. Idem, simul ac se remiserat, neque causa suberat, quare animi laborem perferret, luxuriosus, dissolutus, libidinosus, intemperans reperiebatur, ut omnes admirarentur, in uno homine tantam inesse dissimilitudinem, tamque diversam naturam.

II. Educatus est in domo Periclis (privignus enim ejus fuisse dicitur), eruditus a Socrate. Socerum habuit Hipponicum, omnium Græcâ linguâ loquentium ditissimum; ut, si ipse fingere vellet, neque plura bona reminisci, neque majora posset consequi, quam vel fortuna vel natura tribuerat. Ineunte adolescentiâ amatus est a multis more Græcorum, in eis a Socrate, de quo mentionem facit Plato in *Symposio.* Namque eum induxit commemorantem, se pernoctâsse cum Socrate, neque aliter ab eo surrexisse, ac filius a parente debuerit. Posteaquam robustior est factus, non minùs multos amavit; in quorum amore, quoad licitum est, odiosa multa delicatè jocosèque fecit; quæ referremus, nisi majora potioraque haberemus.

III. Bello Peloponnesio hujus consilio atque auctoritate Athenienses bellum Syracusanis indixerunt: ad quod gerendum ipse dux delectus est. Duo præterea collegæ dati, Nicias et Lamachus. Id quum appararetur, priùs quàm classis exiret, accidit, ut unâ nocte omnes Hermæ, qui in oppido erant Athenis, dejicerentur, præter unum, qui ante januam erat Andocidi. Itaque ille postea Mercurius Andocidis vocitatus est. Hoc quum appareret non sine magnâ multorum consensione esse factum, quòd non ad privatam, sed ad publicam rem pertineret; magnus multitudini timor est injectus, nequa repentina vis in civitate existeret, quæ libertatem opprimeret populi. Hoc maximè convenire in Alcibiadem videbatur, quòd et potentior et major, quàm privatus, existimabatur. Multos enim liberalitate devinxerat, plures etiam operâ forensi suos reddiderat. Quare fiebat, ut omnium oculos, quotiescunque in publicum prodîsset, ad se converteret, neque ei par quisquam

in civitate poneretur. Itaque non solùm spem in eo habebant maximam, sed etiam timorem, quòd et obesse plurimùm et prodesse poterat. Aspergebatur etiam infamiâ, quòd in domo suâ facere mysteria dicebatur: quod nefas erat more Atheniensium; idque non ad religionem, sed ad conjurationem pertinere existimabatur.

IV. Hoc crimine in concione ab inimicis compellabatur. Sed instabat tempus ad bellum proficiscendi. Id ille intuens, neque ignorans civium suorum consuetudinem, postulabat, ut, si quid de se agi vellent, potiùs de præsente quæstio haberetur, quàm absens invidiæ crimine accusaretur. Inimici verò ejus, quiescendum in præsenti, quia noceri non posse intelligebant, et illud tempus expectandum, decreverunt, quo exîsset, ut sic absentem aggrederentur: itaque fecerunt. Nam postquam in Siciliam eum pervenisse crediderunt, absentem, quòd sacra violâsset, reum fecerunt. Quâ de re quum ei nuntius a magistratu in Siciliam missus esset, ut domum ad causam dicendam rediret, essetque in magnâ spe provinciæ bene administrandæ; non parere noluit, et in trierem, quæ ad eum deportandum erat missa, ascendit. Hâc Thurios in Italiam pervectus, multa secum reputans de immoderatâ civium suorum licentiâ, crudelitateque erga nobiles, utilissimum ratus, impendentem evitare tempestatem, clam se a custodibus subduxit, et inde primùm Elidem, deinde Thebas venit. Postquam autem se capitis damnatum bonis publicatis, audivit, et, id quod usu venerat, Eumolpidas sacerdotes a populo coactos, ut se devoverent, ejusque devotionis, quo testatior esset memoria, exemplum, in pila lapidea incisum, esse positum in publico, Lacedæmonem demigravit. Ibi, ut ipse prædicare consueverat, non adversùs patriam, sed inimicos suos bellum gessit, quòd iidem hostes essent civitati. Nam quum intelligerent, se plurimùm prodesse posse reipublicæ, ex eâ ejecisse, plùsque iræ suæ, quàm utilitati communi paruisse. Itaque hujus consilio Lacedæmonii

cum Persarum Rege amicitiam fecerunt; deinde Deceliam in Atticâ munierunt, præsidioque perpetuo ibi posito in obsidione Athenas tenuerunt; ejusdem operâ Ioniam a societate averterunt Atheniensium: quo facto multò superiores bello esse cœperunt.

V. Neque verò his rebus tam amici Alcibiadi sunt facti, quàm timore ab eo alienati. Nam quum acerrimi viri præstantem prudentiam in omnibus rebus cognoscerent, pertimuerunt, ne caritate patriæ ductus aliquando ab ipsis descisceret, et cum suis in gratiam rediret. Itaque tempus ejus interficiendi quærere instituerunt. Id Alcibiadi diutius celari non potuit; erat enim eâ sagacitate, ut decipi non posset, præsertim quum animum attendisset ad cavendum. Itaque ad Tissaphernem, præfectum Regis Darii, se contulit. Cujus quum in intimam amicitiam pervenisset, et Atheniensium, malè gestis in Siciliâ rebus, opes senescere, contrà Lacedæmoniorum crescere, videret; initio cum Pisandro prætore, qui apud Samum exercitum habebat, per internuntios colloquitur, et de reditu suo facit mentionem. Erat enim eodem, quo Alcibiades, sensu, populi potentiæ non amicus, et optimatum fautor. Ab hoc destitutus, primùm per Thrasybulum, Lyci filium, ab exercitu recipitur, prætorque fit apud Samum; pòst, suffragante Theramene, populiscito restituitur, parique absens imperio præficitur simul cum Thrasybulo et Theramene. Horum in imperio tanta commutatio rerum facta est, ut Lacedæmonii, qui paulò antè victores viguerant, perterriti pacem peterent. Victi enim erant quinque prœliis terrestribus, tribus navalibus; in quibus ducentas naves triremes amiserant, quæ captæ in hostium venerant potestatem. Alcibiades simul cum collegis receperat Ioniam, Hellespontum, multas præterea urbes Græcas, quæ in orâ sitæ sunt Asiæ, quarum expugnârant complures, in his Byzantium; neque minùs multas consilio ad amicitiam adjunxerant, quòd in captos clementiâ fuerant usi. Inde prædâ onusti, locupletato exercitu, maximis rebus gestis, Athenas venerunt.

VI. His quum obviàm universa civitas in Piræum descendisset, tanta fuit omnium expectatio visendi Alcibiadis, ut ad ejus triremem vulgus conflueret, proinde ac si solus advenisset. Sic enim populo erat persuasum, et adversas superiores, et præsentes secundas res accidisse ejus operâ. Itaque et Siciliæ amissum, et Lacedæmoniorum victorias culpæ suæ tribuebant, quòd talem virum e civitate expulissent. Neque id sine causâ arbitrari videbantur. Nam postquam exercitui præesse cœperat, neque terrâ neque mari hostes pares esse potuerant. Hic ut navi egressus est, quanquam Theramenes et Thrasybulus eisdem rebus præfuerant, simulque venerant in Piræum; tamen illum unum omnes prosequebantur, et, id quod nunquam antea usu venerat, nisi Olympiæ victoribus, coronis aureis æneisque vulgo donabatur. Ille lacrimans talem benevolentiam civium suorum accipiebat, reminiscens pristini temporis acerbitatem. Postquam astu venit, concione advocatâ sic verba fecit, ut nemo tam ferus fuerit, quin ejus casum lacrimârit, inimicumque his se ostenderit, quorum operâ patriâ pulsus fuerat, proinde ac si alius populus non ille ipse, qui tum flebat, eum sacrilegii damnâsset. Restituta ergo huic sunt publicè bona; iidemque illi Eumolpidæ sacerdotes rursus resacrare sunt coacti, qui eum devoverant; pilæque illæ, in quibus devotio fuerat scripta, in mare præcipitatæ.

VII. Hæc Alcibiadi lætitia non nimis fuit diuturna. Nam quum ei omnes essent honores decreti, totaque respublica domi bellique tradita, ut unius arbitrio gereretur; et ipse postulâsset, ut duo sibi collegæ darentur, Thrasybulus et Adimantus, neque id negatum esset: classe jam in Asiam profectus, quòd apud Cymen minùs ex sententiâ rem gesserat, in invidiam recidit. Nihil enim eum non efficere posse ducebant. Ex quo fiebat, ut omnia minùs prosperè gesta ejus culpæ tribuerent, quum eum aut negligenter aut malitiosè fecisse loquerentur: sicut tum accidit. Nam corruptum a Rege capere Cymen noluisse, ar-

guebant. Itaque huic maximè putamus malo fuisse nimiam opinionem ingenii atque virtutis. Timebatur enim non minùs, quàm diligebatur; ne, secundâ fortunâ magnisque opibus elatus, tyrannidem concupisceret. Quibus rebus factum est, ut absenti magistratum abrogarent, et alium in ejus locum substituerent. Id ille ut audivit, domum reverti noluit, et se Pactyen contulit, ibique tria castella communivit, Bornos, Bisanthen, Neontichos; manuque collectâ primus Græciæ civitatis in Thraciam introïit, gloriosiùs existimans, Barbarorum prædâ locupletari, quàm Graiorum. Quâ ex re creverat quum famâ tum opibus, magnamque amicitiam sibi cum quibusdam regibus, Thraciæ pepererat.

VIII. Neque tamen a caritate patriæ potuit recedere. Nam quum apud Ægos flumen Philocles, prætor Atheniensium, classem constituisset suam, neque longè abesset Lysander, prætor Lacedæmoniorum, qui in eo erat occupatus, ut bellum quàm diutissimè duceret, quòd ipsis pecunia a Rege suppeditabatur, contrà Atheniensibus exhaustis præter arma et naves nihil erat supèr: Alcibiades ad Atheniensium venit exercitum, ibique præsente vulgo agere cœpit, *si vellent, se coacturum Lysandrum aut dimicare aut pacem petere; Lacedæmonios eò nolle confligere classe, quòd pedestribus copiis plùs quàm navibus valerent; sibi autem esse facile, Seuthen, regem Thracum, deducere, ut eos terrâ depelleret; quo facto, necessariò aut classe conflicturos, aut bellum composituros.* Id etsi verè dictum Philocles animadvertebat, tamen postulata facere nolluit, quòd sentiebat, se, Alcibiade recepto, nullius momenti apud exercitum futurum, et, si quid secundi evenisset, nullam in eâ re suam partem fore; contra ea, si quid adversi accidisset, se unum ejus delicti futurum reum. Ab hoc discedens Alcibiades, 'quoniam,' inquit, 'victoriæ patriæ repugnas, illud moneo, juxta hostes castra habeas nautica. Periculum est enim, ne immodestiâ militum nostrorum occasio detur Lysandro nostri opprimendi exer-

citùs.' Neque ea res illum fefellit. Nam Lysander quum per speculatores comperisset, vulgum Atheniensium in terram prædatum exîsse, navesque penè inanes relictas, tempus rei gerendæ non dimisit, eoque impetu totum bellum delevit.

IX. At Alcibiades, victis Atheniensibus, non satìs tuta eadem loca sibi arbitratus, penitùs in Thraciam se supra Propontidem abdidit, sperans ibi facillimè suam fortunam occuli posse. Falsò. Nam Thraces postquam eum cum magnâ pecuniâ venisse senserunt, insidias ei fecerunt: qui ea, quæ apportavit, abstulerunt; ipsum capere non potuerunt. Ille cernens nullum locum sibi tutum in Græciâ propter potentiam Lacedæmoniorum, ad Pharnabazum in Asiam transiit: quem quidem adeò suâ cepit humanitate, ut eum nemo in amicitiâ antecederet. Namque ei Grunium dederat in Phrygiâ, castrum, ex quo quinquagena talenta vectigalis capiebat. Quâ fortunâ Alcibiades non erat contentus, neque Athenas victas Lacedæmoniis servire poterat pati. Itaque ad patriam liberandam omni ferebatur cogitatione; sed videbat, id sine Rege Persarum non posse fieri, ideoque eum amicum sibi cupiebat adjungi. Neque dubitabat facilè se consecuturum, si modò ejus conveniendi habuisset potestatem. Nam Cyrum fratrem ei bellum clam parare, Lacedæmoniis adjuvantibus, sciebat. Id si aperuisset, magnam se initurum gratiam videbat.

X. Hæc quum moliretur, peteretque a Pharnabazo, ut ad Regem mitteretur, eodem tempore Critias cæterique tyranni Atheniensium certos homines ad Lysandrum in Asiam miserunt, qui eum certiorem facerent, nisi Alcibiadem sustulisset, nihil earum rerum fore ratum, quas ipse Athenis constituisset. Quare, si suas res gestas manere vellet, illum persequeretur. His Laco rebus commotus statuit, accuratiùs sibi agendum cum Pharnabazo. Huic ergo renuntiat, quæ Regi cum Lacedæmoniis essent, irrita futura, nisi Alcibiadem vivum aut mortuum tradidisset. Non tulit hoc satrapes, et violare clementiam, quàm Regis opes

minui, maluit. Itaque misit Sysamithren et Bagæum ad Alcibiadem interficiendum, quum ille esset in Phrygiâ, iterque ad Regem compararet. Missi, clam vicinitati, in quâ tum Alcibiades erat, dant negotium, ut eum interficiant. Illi quum eum ferro aggredi non auderent, noctu ligna contulerunt circa casam eam, in quâ quiescebat, eamque succenderunt; ut incendio conficerent, quem manu superari posse diffidebant. Ille autem ut sonitu flammæ est excitatus, etsi gladius ei erat subductus, familiaris sui subalare telum eripuit. Namque erat cum eo quidam ex Arcadiâ hospes, qui nunquam discedere voluerat. Hunc sequi se jubet, et id, quod in præsentiâ vestimentorum fuit, arripit. His in ignem ejectis flammæ vim transiit. Quem ut barbari incendium effugisse viderunt, telis [eminus] missis interfecerunt, caputque ejus ad Pharnabazum retulerunt. At mulier, quæ cum eo vivere consuêrat, muliebri suâ veste contectum ædificii incendio mortuum cremavit, quod ad vivum interimendum erat comparatum. Sic Alcibiades annos circiter quadraginta natus diem obiit supremum.

XI. Hunc infamatum a plerisque tres gravissimi historici summis laudibus extulerunt: Thucydides, qui ejusdem ætatis fuit; Theopompus, qui fuit pòst aliquantò natus, et Timæus. Qui quidem duo maledicentissimi, nescio quo modo, in illo uno laudando conscierunt. Namque ea, quæ suprà diximus, de eo prædicarunt, atque hoc ampliùs: quum Athenis, splendidissimâ civitate, natus esset, omnes splendore ac dignitate superâsse vitæ: postquam inde expulsus Thebas venerit, adeò studiis eorum inservîsse, ut nemo eum labore corporisque viribus posset æquiparare, (omnes enim Bœotii magis firmitati corporis, quàm ingenii acumini inserviunt;) eundem apud Lacedæmonios, quorum moribus summa virtus in patientiâ ponebatur, sic duritiæ se dedisse, ut parsimoniâ victûs atque cultûs omnes Lacedæmonios vinceret; fuisse apud Thracas, homines vinolentos, rebusque Venereis deditos; hos quoque in his rebus antecessisse; venisse

ad Persas, apud quos summa laus esset fortiter venari, luxuriosè vivere; horum sic imitatum consuetudinem, ut illi ipsi eum in his maximè admirarentur. Quibus rebus effecisse, ut, apud quoscumque esset, princeps poneretur, habereturque carissimus. Sed satìs de hoc; reliquos ordiamur.

VIII. THRASYBULUS.

I. *Thrasybulus, Lyci filius, Atheniensis.* Si per se virtus sine fortunâ ponderanda sit, dubito, an hunc primum omnium ponam. Illud sine dubio; neminem huic præfero fide, constantiâ, magnitudine animi, in patriam amore. Nam quod multi voluerunt, pauci potuerunt, ab uno tyranno patriam liberare; huic contigit, ut a triginta oppressam tyrannis ex servitute in libertatem vindicaret. Sed, nescio quo modo, quum eum nemo anteiret his virtutibus, multi nobilitate præcucurrerunt. Primùm Peloponnesio bello multa hic sine Alcibiade gessit, ille nullam rem sine hoc: quæ ille universa naturali quodam bono fecit lucri. Sed illa tamen omnia communia imperatoribus cum militibus et fortunâ, quòd in prœlii concursu abit res a consilio ad vires vimque pugnantium. Itaque jure suo nonnulla ab imperatore miles, plurima verò fortuna vindicat, seque hìc plùs valuisse, quàm ducis prudentiam, verè potest prædicare. Quare illud magnificentissimum factum proprium est Thrasybuli. Nam quum triginta tyranni, præpositi a Lacedæmoniis, servitute oppressas tenerent Athenas, plurimos cives, quibus in bello parserat fortuna, partim patriâ expulissent, partim interfecissent, plurimorum bona publicata inter se divisissent; non solùm princeps, sed et solus initio bellum his indixit.

II. Hic enim quum Phylen confugisset, quod est castellum in Atticâ munitissimum, non plùs habuit secum, quàm triginta de suis. Hoc initium fuit salutis Actæorum; hoc robur libertatis clarissimæ civitatis. Neque verò hic non contemptus est primò a tyrannis,

atque ejus solitudo. Quæ quidem res et illis contemnentibus pernicii, et huic despecto saluti, fuit. Hæc enim illos ad persequendum segnes, hos autem, tempore ad comparandum dato, fecit robustiores. Quò magis præceptum illud omnium in animis esse debet: *Nihil in bello oportere contemni;* nec sine causâ dici: *Matrem timidi flere non solere.* Neque tamen pro opinione Thrasybuli auctæ sunt opes. Nam jam tum illis temporibus fortiùs boni pro libertate loquebantur, quàm pugnabant. Hinc in Piræum transiit, Munychiamque munivit. Hanc bis tyranni oppugnare sunt adorti; ab eâque turpiter repulsi protinus in urbem, armis impedimentisque amissis, refugerunt. Usus est Thrasybulus non minùs prudentiâ, quàm fortitudine. Nam cedentes violari vetuit; *cives* enim *civibus parcere* æquum censebat; neque quisquam est vulneratus, nisi qui prior impugnare voluit; neminem jacentem veste spoliavit; nil attigit, nisi arma, quorum indigebat, et, quæ ad victum pertinebant. In secundo prœlio cecidit Critias, dux tyrannorum, quum quidem exadversus Thrasybulum fortissimè pugnaret.

III. Hoc dejecto, Pausanias venit Atticis auxilio, rex Lacedæmoniorum. Is inter Thrasybulum et eos, qui urbem tenebant, fecit pacem, his conditionibus: *ne qui, præter triginta tyrannos, et decem, qui, postea prætores creati, superioris more crudelitatis erant usi, afficerentur exilio; neve bona publicarentur; reipublicæ procuratio populo redderetur.* Præclarum hoc quoque Thrasybuli, quòd, reconciliatâ pace, quum plurimùm in civitate posset, legem tulit: *ne quis antè actarum rerum accusaretur, neve multaretur;* eamque illi *oblivionis* appellarunt. Neque verò hanc tantùm ferendam curavit, sed etiam, ut valeret, effecit. Nam quum quidam ex his, qui simul cum eo in exilio fuerant, cædem facere eorum vellent, cum quibus in gratiam reditum erat, publicè prohibuit, et id, quod pollicitus erat, præstitit.

IV. Huic pro tantis meritis honoris corona a populo

data est, facta duabus virgulis oleaginis, quam quòd amor civium, non vis expresserat, nullam habuit invidiam, magnâque fuit gloriâ. Bene ergo Pittacus ille, qui septem sapientum numero est habitus, quum ei Mytilenæi multa millia jugerum agri munera darent, *Nolite, oro vos*, inquit, *id mihi dare, quod multi invideant, plures etiam concupiscant. Quare ex istis nolo amplius, quàm centum jugera, quæ et meam animi æquitatem et vestram voluntatem indicent.* Nam parva munera, diutina, locupletia non propria esse consueverunt. Illâ igitur coronâ contentus Thrasybulus neque ampliùs requisivit, neque quenquam honore se antecessisse existimavit. Hic sequenti tempore quum prætor classem ad Ciliciam appulisset, neque satìs diligenter in castris ejus agerentur vigiliæ, a barbaris, ex oppido noctu eruptione factâ, in tabernaculo interfectus est.

IX. CONON.

I. *Conon Atheniensis* Peloponnesio bello accessit ad rempublicam, in eoque ejus opera magni fuit. Nam et prætor pedestribus exercitibus præfuit, et præfectus classis res magnas mari gessit. Quas ob causas præcipuus ei honos habitus est. Namque omnibus unus insulis præfuit: in quâ potestate Pheras cepit, coloniam Lacedæmoniorum. Fuit etiam extremo Peloponnesio bello prætor, quum apud Ægos flumen copiæ Atheniensium a Lysandro sunt devictæ. Sed tum abfuit, eòque pejùs res administrata est. Nam et prudens rei militaris et diligens erat imperii. Itaque nemini erat his temporibus dubium, si adfuisset, illam Athenienses calamitatem accepturos non fuisse.

II. Rebus autem afflictis, quum patriam obsideri audîsset, non quæsivit, ubi ipse tutò viveret, sed unde præsidio posset esse civibus suis. Itaque contulit se ad Pharnabazum, satrapen Ioniæ et Lydiæ, eundemque generum Regis et propinquum: apud quem ut multùm gratiâ valeret, multo labore multisque effecit periculis

Nam quum Lacedæmonii, Atheniensibus devictis, in societate non manerent, quam cum Artaxerxe fecerant, Agesilaümque bellatum misissent in Asiam, maximè impulsi a Tissapherne, qui ex intimis Regis ab amicitiâ ejus defecerat, et cum Lacedæmoniis coïerat societatem: hunc adversùs Pharnabazus habitus est imperator; re quidem verâ exercitui præfuit Conon, ejusque omnia arbitrio gesta sunt. Hic multùm ducem summum Agesilaüm impedivit, sæpèque ejus consiliis obstitit. Neque verò non fuit apertum, si ille non fuisset, Agesilaüm Asiam Tauro tenus Regi fuisse erepturum. Qui posteaquam domum a suis civibus revocatus est, quòd Bœotii et Athenienses Lacedæmoniis bellum indixerant, Conon nihilo seciùs apud præfectos Regis versabatur, hisque omnibus maximo erat usui.

III. Defecerat a Rege Tissaphernes, neque id tam Artaxerxi, quàm cæteris, erat apertum. Multis enim magnisque meritis apud Regem, etiam quum in officio non maneret, valebat. Neque id mirandum, si non facilè ad credendum adducebatur, reminiscens, ejus se operâ Cyrum fratrem superâsse. Hujus accusandi gratiâ Conon a Pharnabazo ad Regem missus, posteaquam venit, primum ex more Persarum ad Chiliarchum, qui secundum gradum imperii tenebat, Tithrausten accessit, seque ostendit cum Rege colloqui velle. Nemo enim sine hoc admittitur. Huic ille, *nulla*, inquit, *mora est; sed tu delibera, utrùm colloqui malis, an per litteras agere, quæ cogitas. Necesse est enim, si in conspectum veneris, venerari te Regem* (quod proskynein illi vocant.) *Hoc si tibi grave est, per me nihilo seciùs editis mandatis conficies, quod studes.* Tum Conon, *Mihi verò*, inquit, *non est grave, quemvis honorem habere Regi. Sed vereor, ne civitati meæ sit opprobrio, si, quum ex eâ sim profectus, quæ cæteris gentibus imperare consueverit, potiùs barbarorum, quàm illius, more fungar.* Itaque, quæ volebat, huic scripta tradidit.

IV. Quibus cognitis, Rex tantùm auctoritate ejus

motus est, ut Tissaphernem hostem judicaverit, et Lacedæmonios bello persequi jusserit, et ei permiserit, quem vellet, eligere ad dispensandam pecuniam. *Id arbitrium*, Conon negavit, *sui esse consilii*, *sed ipsius*, *qui optimè suos nôsse deberet ; sed se suadere*, *Pharnabazo id negotii daret.* Hinc magnis muneribus donatus ad mare est missus, ut Cypriis et Phœnicibus, cæterisque maritimis civitatibus naves longas imperaret, classemque, quâ proximâ æstate mare tueri posset, compararet: dato adjutore Pharnabazo, sicut ipse voluerat. Id ut Lacedæmoniis est nuntiatum, non sine curâ rem administrârunt, quòd majus bellum imminere arbitrabantur, quàm si cum Barbaro solùm contenderent. Nam ducem fortem et prudentem Regiis opibus præfuturum, ac secum dimicaturum videbant, quem neque consilio neque copiis superare possent. Hâc mente magnam contrahûnt classem; proficiscuntur Pisandro duce. Hos Conon, apud Cnidum adortus magno prœlio fugat, multas naves capit, complures deprimit. Quâ victoriâ non solùm Athenæ, sed etiam cuncta Græcia, quæ sub Lacedæmoniorum fuerat imperio, liberata est. Conon cum parte navium in patriam venit: muros dirutos a Lysandro, utrosque et Piræi et Athenarum, reficiendos curat, pecuniæque quinquaginta talenta, quæ a Pharnabazo acceperat, civibus suis donat.

V. Accidit huic, quod cæteris mortalibus, ut inconsideratior in secundâ, quàm in adversâ esset fortunâ. Nam classe Peloponnesiorum devictâ, quum ultum se injurias patriæ putaret, plura concupivit, quàm efficere potuit. Neque tamen ea non pia et probanda fuerunt, quòd potiùs patriæ opes augeri, quàm Regis, maluit. Nam quum magnam auctoritatem sibi pugnâ suâ navali, quam apud Cnidum fecerat, constituisset, non solùm inter Barbaros sed etiam inter omnes Græciæ civitates, clam dare operam cœpit, ut Ioniam et Æoliam restitueret Atheniensibus. Id quum minùs diligenter esset celatum, Tiribazus, qui Sardibus præerat, Cononem evocavit, simulans, ad Regem eum se-

mittere velle magnâ de re. Hujus nuntio parens quum venisset, in vincula conjectus est, in quibus aliquandiu fuit. Nonnulli, eum ad Regem abductum, ibique perisse, scriptum reliquerunt. Contra ea *Dinon* historicus, cui nos plurimùm de Persicis rebus credimus, effugisse, scripsit: illud addubitat, utrùm Tiribazo sciente an imprudente sit factum.

X. DION.

I. *Dion, Hipparini filius, Syracusanus,* nobili genere natus, utrâque implicatus tyrannide Dionysiorum. Namque ille superior Aristomachen, sororem Dionis, habuit in matrimonio: ex quâ duos filios, Hipparinum et Nysæum, procreavit: totidemque filias, nomine Sophrosynen et Areten: quàrum priorem Dionysio filio, eidem cui regnum reliquit, nuptum dedit, alteram, Areten, Dioni. Dion autem præter nobilem propinquitatem, generosamque majorum famam, multa alia ab naturâ habuit bona: in his ingenium docile, come, aptum ad artes optimas; magnam corporis dignitatem, quæ non minimùm commendat; magnas præterea divitias a patre relictas, quas ipse tyranni muneribus auxerat. Erat intimus Dionysio priori, neque minùs propter mores, quàm affinitatem. Namque etsi Dionysii crudelitas ei displicebat, tamen salvum esse propter necessitudinem, magis etiam suorum causâ, studebat. Aderat in magnis rebus; ejusque consilio multùm movebatur tyrannus, nisi quâ in re major ipsius cupiditas intercesserat. Legationes verò, quæ essent illustriores, per Dionem administrabantur; quas quidem ille diligenter obeundo, fideliter administrando, crudelissimum nomen tyranni suâ humanitate tegebat. Hunc a Dionysio missum Carthaginienses suspexerunt, ut neminem unquam Græcâ linguâ loquentem magis sint admirati.

II. Neque verò hæc Dionysium fugiebant. Nam quanto esset sibi ornamento, sentiebat. Quo fiebat, ut uni huic maximè indulgeret, neque eum secus dili-

geret ac filium. Qui quidem, quum, Platonem Tarentum venisse, fama in Siciliam esset perlata, adolescenti negare non potuit, quin eum arcesseret, quum Dion ejus audiendi cupiditate flagraret. Dedit ergo huic veniam, magnâque eum ambitione Syracusas perduxit. Quem Dion adeò admiratus est atque adamavit, ut se totum ei traderet. Neque verò Plato minùs delectatus est Dione. Itaque quum a Dionysio tyranno crudeliter violatus esset, quippe quem venundari jussisset, tamen eòdem rediit, ejusdem Dionis precibus adductus. Interim in morbum incidit Dionysius. Quo quum gravi conflictaretur, quæsivit a medicis Dion, *quemadmodum se haberet?* simulque ab his petiit, *si fortè majori esset periculo, ut sibi faterentur. Nam velle se cum eo colloqui de partiendo regno:* quòd sororis suæ filios ex illo natos partem regni putabat debere habere. Id medici non tacuerunt, et ad Dionysium filium sermonem retulerunt. Quo ille commotus, ne agendi cum eo esset Dioni potestas, patri soporem medicos dare coëgit. Hoc æger sumpto, ut somno sopitus, diem obiit supremum.

III. Tale initium fuit Dionis et Dionysii simultatis, eaque multis rebus aucta est. Sed tamen primis temporibus aliquandiu simulata inter eos amicitia mansit. Quumque Dion non desisteret obsecrare Dionysium, ut Platonem Athenis arcesseret, et ejus consiliis uteretur, ille, qui in aliquâ re vellet patrem imitari, morem ei gessit. Eodemque tempore Philistum historicum Syracusas reduxit, hominem amicum non magis tyranno, quàm tyrannidi. Sed de hoc in eo meo libro plura sunt exposita, qui de historicis conscriptus est. Plato autem tantùm apud Dionysium auctoritate potuit, valuitque eloquentiâ, ut ei persuaserit, tyrannidis facere finem, libertatemque reddere Syracusanis: a quâ voluntate Philisti consilio deterritus, aliquantò crudelior esse cœpit.

IV. Qui quidem, quum a Dione se superari videret ingenio, auctoritate, amore populi, verens, ne, si eum secum haberet, aliquam occasionem sui daret oppri-

mendi, navem ei triremem dedit, quâ Corinthum deveheretur: ostendens, se id utriusque facere causâ; ne, quum inter se timerent, alteruter alterum præoccuparet. Id quum factum multi indignarentur, magnæque esset invidiæ tyranno, Dionysius omnia quæ moveri poterant Dionis in naves imposuit, ad eumque misit. Sic enim existimari volebat, id se non odio hominis, sed suæ salutis fecisse causâ. Postea verò quàm audivit eum in Peloponneso manum comparare, sibique bellum facere conari; Areten, Dionis uxorem, alii nuptum dedit, filiumque ejus sic educari jussit, ut indulgendo turpissimis imbueretur cupiditatibus. Nam puero, priusquam pubes esset, scorta adducebantur; vino epulisque obruebatur, neque ullum tempus sobrio relinquebatur. Is usque eò vitæ statum commutatum ferre non potuit, postquam in patriam rediit pater (namque appositi erant custodes, qui eum a pristino victu deducerent), ut se de superiore parte ædium dejecerit, atque ita interierit. Sed illuc revertor.

V. Postquam Corinthum pervenit Dion, et eòdem perfugit Heraclides, ab eodem expulsus Dionysio, qui præfectus fuerat equitum, omni ratione bellum comparare cœperunt. Sed non multùm proficiebant, quòd multorum annorum tyrannis magnarum opum putabatur. Quam ob causam pauci ad societatem periculi perducebantur. Sed Dion fretus non tam suis copiis, quàm odio tyranni, maximo animo, duabus onerariis navibus, quinquaginta annorum imperium, munitum quingentis longis navibus, decem equitum, centum peditum millibus, profectus oppugnatum, (quod omnibus gentibus admirabile est visum) adeò facilè perculit, ut post diem tertium quàm Siciliam attigerat, Syracusas introierit. Ex quo intelligi potest, nullum esse imperium tutum, nisi benevolentiâ munitum. Eo tempore aberat Dionysius, et in Italiâ classem opperiebatur, adversariorum ratus neminem sine magnis copiis ad se venturum: quæ res eum fefellit. Nam Dion iis ipsis, qui sub adversarii fuerant potestate, regios spiritus repressit, totiusque ejus partis Siciliæ potitus est,

quæ sub potestate Dionysii fuerat; parique modo urbis Syracusarum, præter arcem et insulam adjunctam oppido; eòque rem perduxit, ut talibus pactionibus pacem tyrannus facere vellet: *Siciliam Dion obtineret. Italiam Dionysius, Syracusas Apollocrates*, cui maximam fidem uni habebat.

VI. Has tam prosperas tamque inopinatas res consecuta est subita commutatio, quòd fortuna suâ mobilitate, quem paulò antè extulerat, demergere est adorta. Primùm in filio, de quo commemoravi suprà, sævitiam suam exercuit. Nam quum uxorem reduxisset, quæ alii fuerat tradita, filiumque vellet revocare ad virtutem a perditâ luxuriâ, accepit gravissimum parens vulnus morte filii. Deinde orta dissensio est inter eum et Heraclidem; qui quidem principatum non concedens, factionem comparavit. Neque is minùs valebat apud optimates, quorum consensu præerat classi, quum Dion exercitum pedestrem teneret. Non tulit hoc animo æquo Dion, et versum illum Homeri retulit ex secundâ rhapsodiâ, in quo hæc sententia est: *Non posse bene geri rempublicam multorum imperiis*. Quod dictum magna invidia consecuta est. Namque aperuisse videbatur, se omnia in suâ potestate esse velle. Hanc ille non lenire obsequio, sed acerbitate opprimere studuit, Heraclidemque, quum Syracusas venisset, interficiendum curavit.

VII. Quod factum omnibus maximum timorem injecit. Nemo enim, illo interfecto, se tutum putabat. Ille autem, adversario remoto, licentiùs eorum bona, quos sciebat adversùs se sensisse, militibus dispertivit. Quibus divisis, quum quotidiani maximi fierent sumptus, celeriter pecuniâ deesse cœpit; neque, quò manus porrigeret, suppetebat, nisi in amicorum possessiones. Id hujusmodi erat, ut, quum milites reconciliâsset, amitteret optimates. Quarum rerum curâ frangebatur, et, insuetus malè audiendi, non æquo animo ferebat, de se ab iis malè existimari, quorum paulò antè in cælum fuerat elatus laudibus. Vul-

gus autem, offensâ in eum militum voluntate, liberiùs loquebatur, et *tyrannum non ferendum* dictitabat.

VIII. Hæc ille intuens, quum, quemadmodum sedaret, nesciret, et, quorsum evaderent, timeret; Callicrates quidam, civis Atheniensis, qui simul cum eo ex Peloponneso in Siciliam venerat, homo et callidus et ad fraudem acutus, sine ullâ religione ac fide, adit ad Dionem, et ait: *eum* [*in*] *magno periculo esse propter offensionem populi et odium militum, quod nullo modo evitare posset, nisi alicui suorum negotium daret, qui se simularet illi inimicum. Quem si invenisset idoneum, facilè omnium animos cogniturum, adversariosque sublaturum, quòd inimici ejus dissidenti suos sensus aperturi forent.* Tali consilio probato excipit has partes ipse Callicrates, et se armat imprudentiâ Dionis. Ad eum interficiendum socios conquirit; adversarios ejus convenit, conjurationem confirmat. Res, multis consciis quæ gereretur, elata defertur ad Aristomachen, sororem Dionis, uxoremque Areten. Illæ timore perterritæ conveniunt, cujūs de periculo timebant. At ille negat a Callicrate fieri sibi insidias, sed illa, quæ agerentur, fieri præcepto suo. Mulieres nihilo secius Callicratem in ædem Proserpinæ deducunt, ac jurare cogunt, *nihil ab illo periculi fore Dioni.* Ille hâc religione non modò ab incepto non deterritus, sed ad maturandum concitatus est, verens ne priùs consilium aperiretur suum, quàm conata perfecisset.

IX. Hâc mente proximo die festo, quum a conventu remotum se Dion domi teneret, atque in conclavi edito recubuisset, consciis loca munitiora oppidi tradit, domum custodibus sepit; a foribus qui non discedant, certos præficit; navem triremem armatis ornat, Philostratoque fatri suo tradit, eamque in portu agitari jubet, ut si exercere remiges vellet: cogitans, si fortè consiliis obstitisset fortuna, ut haberet, quò fugeret ad salutem. Suorum autem e numero Zacynthios adoloscentes quosdam eligit, quum audacissimos, tum viribus maximis; hisque dat negotium, ad Dio-

nem eant inermes, sic uti conveniendi ejus gratiâ viderentur venire. Hi propter notitiam sunt intromissi. At illi, ut limen ejus intrârunt, foribus obseratis in lecto cubantem invadunt. Colligant fit strepitus, adeò ut exaudiri posset foris. Hic, sicut antè dictum est, quàm invisa sit singularis potentia, et miseranda vita, qui se metui, quàm amari malunt, cuivis facile intellectu fuit, Namque illi ipsi custodes, si propitiâ fuissent voluntate, foribus effractis servare eum potuissent, quòd illi inermes telum forìs flagitantes vivum tenebant. Cui quum succurreret nemo, Lyco quidam Syracusanus per fenestras gladium dedit, quo Dion interfectus est.

X. Confectâ cæde, quum multitudo visendi gratiâ introîsset, nonnulli ab insciis pro noxiis conciduntur. Nam celeri rumore dilato, Dioni vim allatam, multi concurrerant, quibus tale facinus displicebat. Hi falsâ suspicione ducti, immerentes ut sceleratos occidunt. Hujus de morte ut palàm factum est, mirabiliter vulgi mutata est voluntas. Nam qui vivum eum *tyrannum* vocitârant, iidem *liberatorem patriæ tyrannique expulsorem* prædicabant. Sic subitò misericordia odio successerat, ut eum suo sanguine, si possent, ab Acheronte cuperent redimere. Itaque in urbe, celeberrimo loco, elatus publicè, sepulcri monumento donatus est. Diem obiit circiter annos quinquaginta quinque natus; quartum pòst annum, quàm ex Peloponneso in Siciliam redierat.

XI. IPHICRATES.

I. *Iphicrates Atheniensis* non tam magnitudine rerum gestarum, quàm disciplinâ militari nobilitatus est. Fuit enim talis dux, ut non solùm ætatis suæ cum primis compararetur, sed ne de majoribus natu quidem quisquam anteponeretur. Multùm verò in bello est versatus; sæpè exercitibus præfuit; nusquam culpâ suâ malè rem gessit; semper consilio vicit; tantùmque eo valuit, ut multa in re militari partim

nova attulerit, partim meliora fecerit. Namque ille pedestria arma mutavit, quum ante illum imperatorem maximis clypeis, brevibus hastis, minutis gladiis uterentur. Ille e contrario peltam pro parmâ fecit (a quo postea *peltastæ* pedites apellantur), ut ad motus concursusque essent leviores. Hastæ modum duplicavit; gladios longiores fecit. Idem genus loricarum mutavit, et pro sertis atque æneis linteas dedit. Quo facto expeditiores milites reddidit. Nam pondere detracto, quod æquè corpus tegeret et leve esset, curavit.

II. Bellum cum Thracibus gessit; Seuthen, socium Atheniensium, in regnum restituit. Apud Corinthum tantâ severitate exercitui præfuit, ut nullæ unquam in Græciâ neque exercitatiores copiæ, neque magis dicto audientes fuerint duci. In eamque consuetudinem adduxit, ut quum prœlii signum ab imperatore esset datum, sine ducis operâ sic ordinatæ consisterent, ut singuli ab peritissimo imperatore dispositi viderentur. Hoc exercitu moram Lacedæmoniorum intercepit: quod maximè totâ celebratum est Græciâ. Iterum eodem bello omnes copias eorum fugavit. Quo facto magnam adeptus est gloriam. Quum Artaxerxes Ægyptio regi bellum inferre voluit, Iphicratem ab Atheniensibus petivit ducem, quem præficeret exercitui conductitio, cujus numerus duodecim millium fuit. Quem quidem sic omni disciplinâ militari erudivit, ut, quemadmodum quondam *Fabiani* milites Romani appellati sunt, sic *Iphicratenses* apud Græcos in summâ laude fuerint. Idem subsidio Lacedæmoniis profectus, Epaminondæ retardavit impetus. Nam nisi ejus adventus appropinquâsset, non priùs Thebani Spartâ abscessissent, quàm captam incendio delêssent.

III. Fuit autem et animo magno et corpore, imperatoriâque formâ, ut ipso aspectu cuivis injiceret admirationem sui. Sed in labore remissus nimis, parumque patiens, ut *Theopompus* memoriæ prodidit; bonus verò civis, fideque magnâ. Quod quum in aliis

rebus declaravit, tum maximè in Amyntæ Macedonis liberis tuendis. Namque Eurydice, mater Perdiccæ et Philippi, cum his duobus pueris, Amyntâ mortuo, ad Iphicratem confugit, ejusque opibus defensa est. Vixit ad senectutem, placatis in se suorum civium animis. Causam capitis semel dixit, bello sociali, simul cum Timotheo, eoque judicio est absolutus. Menesthea filium reliquit, ex Thressâ natum, Coti regis filiâ. Is quum interrogaretur, *utrùm pluris patrem matremne faceret; matrem*, inquit. Id quum omnibus mirum videretur: *at*, ille, *meritò*, inquit, *facio. Nam pater, quantum in se fuit, Thracem me creavit, contra ea mater Atheniensem.*

XII. CHABRIAS.

I. *Chabrias, Atheniensis.* Hic quoque in summis habitus est ducibus, resque multas memoriâ dignas gessit. Sed ex his elucet maximè inventum ejus in prœlio, quod apud Thebas fecit, quum Bœotiis subsidio venisset. Namque in eo victoriâ fidente summo duce Agesilao, fugatis jam ab eo conductitiis catervis, reliquam phalangem loco vetuit cedere, obnixoque genu scuto, projectâ [que] hastâ, impetum excipere hostium docuit. Id novum Agesilaüs contuens, progredi non est ausus, suosque jam incurrentes tubâ revocavit. Hoc usque eò totâ Græciâ famâ celebratum est, ut illo statu Chabrias sibi statuam fieri voluerit, quæ publicè ei ab Atheniensibus in foro constituta est. Ex quo factum est, ut postea athletæ cæterique artifices his statibus in statuis ponendis uterentur, in quibus victoriam essent adepti.

II. Chabrias autem multa in Europâ bella administravit, quum dux Atheniensium esset; in Ægypto suâ sponte gessit. Nam Nectanabin adjutum profectus, regnum ei constituit. Fecit idem Cypri, sed publicè ab Atheniensibus Evagoræ adjutor datus. Neque priùs inde discessit, quàm totam insulam bello devin-

cesset. quâ ex re Athenienses magnam gloriam sunt adepti. Interim bellum inter Ægyptios et Persas conflatum est. Athenienses cum Artaxerxe societatem habebant; Lacedæmonii cum Ægyptiis: a quibus magnas prædas Agesilaüs, rex eorum, faciebat. Id intuens Chabrias, quum in re nullâ Agesilao cederet, suâ sponte eos adjutum profectus Ægyptiæ classi præfuit, pedestribus copiis Agesilaüs.

III. Tum præfecti Regis Persiæ legatos miserunt Athenas questum, quòd Chabrias adversùm Regem bellum gereret cum Ægyptiis. Athenienses diem certam Chabriæ præstituerunt, quam ante domum nisi redîsset, capitis se illum damnaturos denuntiârunt. Hoc ille nuntio Athenas rediit; neque ibi diutius est moratus, quàm fuit necesse. Non enim libenter erat ante oculos civium suorum; quòd et vivebat lautè, et indulgebat sibi liberaliùs, quàm ut invidiam vulgi posset effugere. Est enim hoc commune vitium in magnis liberisque civitatibus, ut invidia gloriæ comes sit, et libenter de his detrahant, quos eminere videant altiùs, neque animo æquo pauperes alienam opulentium intuuntur fortunam. Itaque Chabrias, quoad ei licebat, plurimùm aberat. Neque verò solus ille aberat Athenis libenter, sed omnes ferè principes fecerunt idem: quòd tantùm se ab invidiâ putabant abfuturos, quantùm a conspectu suorum recessissent. Itaque Conon plurimùm Cypri vixit, Iphicrates in Thraciâ, Timotheus Lesbi, Chares in Sigeo. Dissimilis quidem Chares eorum et factis et moribus, sed tamen Athenis et honoratus et potens.

IV. Chabrias autem periit bello sociali tali modo. Oppugnabant Athenienses Chium. Erat in classe Chabrias privatus, sed omnes, qui in magistratu erant, auctoritate anteibat; eumque magis milites, quàm qui præerant, aspiciebant. Quæ res ei maturavit mortem. Nam, dum primus studet portum intrare, et gubernatorem jubet eò dirigere navem, ipse sibi perniciei fuit. Quum enim eò penetrâsset, cæteræ non sunt secutæ.

Quo facto circumfusus hostium concursu quum fortissimè pugnaret, navis, rostro percussa, cœpit sidere. Hinc refugere quum posset, si se in mare dejecisset, quòd suberat classis Atheniensium, quæ exciperet natantes: perire maluit, quàm armis abjectis navem relinquere, in quâ fuerat vectus. Id cæteri facere noluerunt, qui nando in tutum pervenerunt. At ille præstare honestam mortem existimans turpi vitæ, cominus pugnans telis hostium interfectus est.

XIII. TIMOTHEUS.

I. *Timotheus, Cononis filius, Atheniensis.* Hic a patre acceptam gloriam multis auxit virtutibus. Fuit enim disertus, impiger, laboriosus, rei militaris peritus, neque minùs civitatis regendæ. Multa hujus sunt præclarè facta, sed hæc maximè illustria. Olynthios et Byzantios bello subegit. Samum cepit, in quâ oppugnandâ superiore bello Athenienses mille et ducenta talenta consumpserant. Id ille sine ullâ publicâ impensâ populo restituit. Adversùm Cotyn bella gessit, ab eoque mille et ducenta talenta prædæ in publicum retulit. Cyzicum obsidione liberavit. Ariobarzani simul cum Agesilao auxilio profectus est: a quo quum Laco pecuniam numeratam accepisset, ille cives suos agro atque urbibus augeri maluit, quàm id sumere, cujus partem domum suam ferre posset. Itaque accepit Crithoten et Sestum.

II. Idem classi præfectus circumvehens Peloponnesum, Laconicen populatus, classem eorum fugavit. Corcyram sub imperium Atheniensium redegit: sociosque idem adjunxit Epirotas, Athamanas, Chaonas, omnesque eas gentes, quæ mare illud adjacent. Quo facto Lacedæmonii de diutinâ contentione destiterunt, et suâ sponte Atheniensibus imperii maritimi principatum concesserunt; pacemque his legibus constituerunt, ut Athenienses mari duces essent. Quæ victoria tantæ fuit Atticis lætitiæ, ut tum primùm aræ PACI publicè sint factæ, eique deæ pulvinar sit

institutum. Cujus laudis ut memoria maneret, Timotheo publicè statuam in foro posuerunt. Qui honos huic uni ante hoc tempus contigit, ut, quum patri populus statuam posuisset, filio quoque daret. Sic juxtà posita recens filii, veterem patris renovavit memoriam.

III. Hic quum esset magno natu, et magistratus gerere desîsset, bello Athenienses undique premi sunt cœpti. Defecerat Samus; descierat Hellespontus; Philippus jam tum valens [Macedo] multa moliebatur: cui oppositus Chares quum esset, non satìs in eo præsidii putabatur. Fit Menestheus prætor, filius Iphicratis, gener Timothei, et, ut ad bellum proficiscatur, decernitur. Huic in consilium dantur duo usu sapientiâque præstantes, quorum consilio uteretur, pater et socer: quòd in his tanta erat auctoritas, ut magna spes esset, per eos amissa posse, recuperari. Hi quum Samum profecti essent, et eòdem Chares, adventu eorum cognito, cum suis copiis proficisceretur, ne quid absente se gestum videretur; accidit, quum ad insulam appropinquarent, ut magna tempestas oriretur; quam evitare duo veteres imperatores utile arbitrati, suam classem suppresserunt. At ille temerariâ usus ratione non cessit majorum natu auctoritati, et, ut si in suâ navi esset Fortuna, quò contenderat, pervenit: eòdemque ut sequerentur, ad Timotheum et Iphicratem nuntium misit. Hinc malè re gestâ, compluribus amissis navibus, eòdem, unde erat profectus, se recepit, litterasque Athenas publicè misit, sibi proclive fuisse Samum capere, nisi a Timotheo et Iphicrate desertus esset. [Ob eam rem in crimen vocabantur.] Populus acer, suspicax, mobilis, adversarius, invidus etiam potentiæ, domum revocat: accusantur proditionis. Hoc judicio damnatur Timotheus, lisque ejus æstimatur centum talentis. Ille odio ingratæ civitatis coactus, Chalcidem se contulit.

IV. Hujus post mortem quum populum judicii sui pœniteret, multæ novem partes detraxit, et decem talenta Cononem filium ejus ad muri quandam partem

reficiendam jussit dare. In quo fortunæ varietas est animadversa. Nam quos avus Conon muros ex hostium prædâ patriæ restituerat, eosdem nepos, cum summâ ignominiâ familiæ, ex suâ re familiari reficere coactus est. Timothei autem moderatæ sapientisque vitæ quum pleraque possimus proferre testimonia, uno erimus contenti, quòd ex eo facilè conjici poterit, quàm carus suis fuerit. Quum Athenis adolescentulus causam diceret, non solùm amici privatique hospites ad eum defendendum convenerunt, sed etiam in eis Jason tyrannus, qui illo tempore fuit omnium potentissimus. Hic, quum in patriâ sine satellitibus se tutum non arbitraretur, Athenas sine ullo præsidio venit, tantique hospitem fecit, ut mallet se capitis periculum adire, quàm Timotheo de famâ dimicanti deesse. Hunc adversùs tamen Timotheus postea populi jussu bellum gessit, patriæque sanctiora jura, quàm hospitii, esse duxit. Hæc extrema fuit ætas imperatorum Atheniensium, Iphicratis, Chabriæ, Timothei: neque post illorum obitum quisquam dux in illâ urbe fuit dignus memoriâ.

XIV. DATAMES.

I. VENIO nunc ad fortissimum virum, maximique consilii, omnium barbarorum: exceptis duobus Carthaginiensibus, Hamilcare et Hannibale. De quo hòc plura referemus, quòd et obscuriora sunt ejus gesta pleraque, et ea, quæ prosperè ei cesserunt, non magnitudine copiarum, sed consilii, quo tantùm non omnes superabat, acciderunt: quorum nisi ratio explicata fuerit, res apparere non poterunt. *Datames* patre Camissare, natione Care, matre Scythissâ natus, primùm militum numero fuit apud Artaxerxem eorum, qui regiam tuebantur. Pater ejus Camissares, quòd et manu fortis et bello strenuus et Regi multis locis fidelis erat repertus, habuit provinciam partem Ciliciæ juxta Cappadociam, quam incolunt Leucosyri. Datames militare munus fungens, primùm, qualis esset,

aperuit in bello, quod Rex adversùs Cadusios gessit. Namque hic multis millibus Regiorum interfectis, magni fuit ejus opera. Quo factum est, ut, quum in eo bello cecidisset Camissares, paterna ei traderetur provincia.

II. Pari se virtute postea præbuit, quum Autophradates jussu Regis bello persequeretur eos, qui defecerant. Namque ejus operâ hostes, quum castra jam intrâssent, profligati sunt, exercitusque reliquus conservatus Regis est: quâ ex re majoribus rebus præesse cœpit. Erat eo tempore Thyus dynastes Paphlagoniæ antiquo genere natus a Pylæmene illo, quem Homerus Troico bello a Patroclo interfectum ait. Is Regi dicto audiens non erat: quam ob causam bello eum persequi constituit, eique rei præfecit Datamem, propinquum Paphlagonis (namque ex fratre et sorore erant nati). Quam ob causam Datames omnia primùm experiri voluit, ut sine armis propinquum ad officium reduceret. Ad quem quum venisset sine præsidio, quòd ab amico nullas vereretur insidias, penè interiit. Nam Thyus eum clam interficere voluit. Erat mater cum Datame, amita Paphlagonis. Ea, quid ageretur, resciit, filiumque monuit. Ille fugâ periculum evitavit, bellumque indixit Thyo. In quo, quum ab Ariobarzane, præfecto Lydiæ et Ioniæ totiusque Phrygiæ, desertus esset, nihilo segniùs perseveravit, vivumque Thyum cepit cum uxore et liberis.

III. Cujus facti ne priùs fama ad Regem, quam ipse, perveniret, dedit operam. Itaque omnibus inscriis, eò, ubi erat Rex, venit; posteroque die Thyum, hominem maximi corporis, terribilique facie, quòd et niger et capillo longo barbâque erat promissâ, optimâ veste texit, quam satrapæ Regii gerere consueverant; ornavitque etiam torque, et armillis aureis, cæteroque regio cultu; ipse agresti duplici amiculo circumdatus, hirtâque tunicâ, gerens in capite galeam venatoriam, dextrâ manu clavam, sinistrâ copulam, quâ vinctum ante se Thyum agebat, ut si feram bestiam captam duceret. Quem quum omnes prospicerent propter

novitatem ornatûs ignotamque formam, ob eamque rem magnus esset concursus; fuit non nemo, qui agnosceret Thyum, Regique nuntiaret. Primò non accredidit. Itaque Pharnabazum misit exploratum. A quo ut rem gestam comperit, statim admitti jussit, magnopere delectatus quum facto, tum ornatu; imprimis quòd nobilis rex in potestatem inopinanti venerat. Itaque magnificè Datamem donatum ad exercitum misit, qui tum contrahebatur duce Pharnabazo et Tithrauste ad bellum Ægyptium, parique eum, atque illos, imperio esse jussit. Postea verò quàm Pharnabazum Rex revocavit, illi summa imperii tradita est.

IV. Hic quum maximo studio compararet exercitum, Ægyptumque proficisci pararet, subitò a Rege litteræ sunt ei missæ, ut Aspim aggrederetur, qui Cataoniam tenebat: quæ gens jacet supra Ciliciam, confinis Cappadociæ. Namque Aspis, saltuosam regionem, castellisque munitam incolens, non solùm inperio Regis non parebat, sed etiam finitimas regiones vexabat, et, quæ Regi portarentur, abripiebat. Datamas, etsi longè aberat ab his regionibus, et a majore re abstrahebatur, tamen Regis voluntati morem gerendum putavit. Itaque cum paucis, sed viris fortibus, navem conscendit: existimans (id quod accidit) faciliùs se imprudentem parvâ manu oppressurum, quàm paratum, quàmvis magno exercitu. Hâc delatus in Ciliciam, egressus inde, dies noctesque iter faciens, Taurum transiit, eòque quò studuerat venit; quærit, quibus locis sit Aspis; cognoscit, haud longè abesse, profectumque eum venatum. Quem dum speculatur, adventûs ejus causa cognoscitur. Pisidas cum iis, quos secum habebat, ad resistendum Aspis comparat. Id Datames ubi audivit, arma sumit, suosque sequi jubet: ipse equo concitato ad hostem vehitur. Quem procul Aspis conspiciens ad se ferentem, pertimescit, atque a conatu resistendi deterritus, sese dedit. Hunc Datames vinctum ad Regem ducendum tradit Mithridati.

V. Hæc dum geruntur, Artaxerxes reminiscens, a quanto bello, ad quàm parvam rem principem ducum

misisset, se ipse reprehendit, et nuntium ad exercitum Acen misit, quòd nondum Datamem profectum putabat, qui diceret, ne ab exercitu discederet. Hic priusquam perveniret, quò erat profectus, in itinere convenit, qui Aspim ducebant. Quâ celeritate quum magnam benevolentiam Regis Datames consecutus esset, non minorem invidiam aulicorum excepit, qui illum unum pluris, quàm se omnes, fieri videbant. Quo facto cuncti ad eum opprimendum consenserunt. Hæc Pandates, gazæ custos Regiæ, amicus Datami, perscripta ei mittit, in quibus docet, *eum magno fore periculo, si quid illo imperante in Ægypto adversi accidisset. Namque eam esse consuetudinem regiam, ut casus adversos hominibus tribuant, secundos fortunæ suæ: quo fieri, ut facilè impellantur ad eorum perniciem, quorum ductu res malè gestæ nuntientur: illum hòc majore fore in discrimine, quòd, quibus Rex maximè obediat, eos habeat inimicissimos.* Talibus ille litteris cognitis, quum jam ad exercitum Acen venisset, quòd non ignorabat ea verè scripta, desciscere a Rege constituit. Neque tamen quicquam fecit, quod fide suâ esset indignum. Nam Mandroclem Magnetem exercitui præfecit. Ipse cum suis in Cappadociam discedit; conjunctamque huic Paphlagoniam occupat, celans quâ voluntate esset in Regem, clam cum Ariobarzane facit amicitiam, manum comparat, urbes munitas suis tuendas tradit.

VI. Sed hæc propter hiemale tempus minùs prosperè procedebant. Audit, Pisidas quasdam copias adversùs se parare; filium eò Arsidæum cum exercitu mittit. Cadit in prœlio adolescens. Proficiscitur eò pater, non ita cum magnâ manu, celans, quantum vulnus accepisset; quòd priùs ad hostem pervenire cupiebat, quàm de re malè gestâ fama ad suos perveniret: ne cognitâ filii morte animi debilitarentur militum. Quò contenderat, pervenit, hisque locis castra ponit, ut neque circumiri multitudine adversariorum posset, neque impediri, quò minùs ad dimicandum manum haberet expeditam. Erat cum eo Mithrobarzanes so-

cer ejus, præfectus equitum. Is, desperatis generi rebus, ad hostes transfugit. Id Datames ut audivit, sensit, si in turbam exîsset, ab homine tam necessario se relictum, futurum, ut cæteri consilium sequerentur. In vulgus edit: *suo jussu Mithrobarzanem profectum pro perfugà quò faciliùs, receptus, interficeret hostes. Quare relinqui eum non par esse, et omnes confestim sequi. Quod si animo strenuo fecissent, futurum, ut adversarii non possent resistere, quum et intra vallum et foris cæderentur.* Hâc re probatâ, exercitum educit, Mithrobarzanem persequitur; qui tantùm quòd ad hostes pervenerat, Datames signa inferri jubet. Pisidæ, novâ re commoti, in opinionem adducuntur, perfugas malâ fide compositòque fecisse, ut, recepti, essent majori calamitati. Primùm eos adoriuntur. Illi quum, quid ageretur, aut quare fieret, ignorarent, coäcti sunt cum eis pugnare, ad quos transierant, ab hisque stare, quos reliquerant: quibus quum neutri parcerent, celeriter sunt concisi. Reliquos Pisidas resistentes Datames invadit: primo impetu pellit, fugientes persequitur, multos interficit, castra hostium capit. Tali consilio uno tempore et proditores perculit, et hostes profligavit; et, quod ad perniciem fuerat cogitatum, id ad salutem convertit. Quo neque acutius ullius imperatoris cogitatum, neque celerius factum usquam legimus.

VII. Ab hoc tamen viro Scismas maximo natu filius desciit, ad Regemque transiit, et de defectione patris detulit. Quo nuntio Artaxerxes commotus, quòd intelligebat sibi cum viro forti ac strenuo negotium esse, qui, quum cogitâsset, facere auderet, et priùs cogitare, quàm conari, consuêsset, Autophradatem in Cappadociam mittit. Hic ne intrare posset saltum, in quo Ciliciæ portæ sunt sitæ, Datames præoccupare studuit. Sed tam subitò copias contrahere non potuit: a quâ re depulsus, cum eâ manu, quam contraxerat, locum delegit talem, ut neque circumiretur ab hostibus, neque præteriret adversarius, quin ancipitibus locis premeretur, et, si dimicare cum

eo vellet, non multùm obesse multitudo hostium suæ paucitati posset.

VIII. Hæc etsi Autophradates videbat, tamen statuit congredi, quàm cum tantis copiis refugere, aut tam diu uno loco sedere. Habebat Barbarorum equitum viginti, peditum centum millia, quos illi *Cardacas* appellant, ejusdemque generis tria funditorum: præterea Cappadocum octo, Armeniorum decem, Paphlagonum quinque, Phrygum decem, Lydorum quinque, Aspendiorum et Pisidarum circiter tria, Cilicum duo, Captianorum totidem, ex Græciâ conductorum tria millia: levis armaturæ maximum numerum. Has adversùs copias spes omnis consistebat Datami in se locique naturâ: namque hujus partem non habebat vicesimam militum. Quibus fretus conflixit, adversariorumque multa millia concidit, quum de ipsius exercitu non amplius hominum mille cecidisset: quam ob causam postero die tropæum posuit, quo loco pridie pugnatum erat. Hinc quum castra movisset, semperque inferior copiis, superior omnibus prœliis discederet, quòd nunquam manum consereret, nisi quum adversarios locorum angustiis clausisset (quod perito regionum callidèque cogitanti sæpè accidebat): Autophradates, quum bellum duci majore Regis calamitate, quàm adversariorum, videret, ad pacem amicitiamque hortatus est, ut cum Rege in gratiam rediret. Quam ille etsi fidam non fore putabat, tamen conditionem accepit, *seque ad Artaxerxem legatos missurum* dixit. Sic bellum, quod Rex adversùs Datamem susceperat, sedatum. Autophradates in Phrygiam se recepit.

IX. At Rex, quòd implacabile odium in Datamem susceperat, postquam bello eum opprimi non posse animadvertit, insidiis interficere studuit: quas ille plerasque vitavit. Sicut, quum nuntiatum esset, quosdam sibi insidiari, qui in amicorum erant numero (de quibus quod inimici detulerant, neque credendum, neque negligendum putavit); experiri voluit, verum falsumne esset relatum. Itaque eo profectus est, quo

itinere futuras insidias dixerant. Sed elegit corpore et staturâ simillimum sui, eique vestitum suum dedit, atque eo loco ire, quo ipse consueverat, jussit. Ipse autem ornatu [vestituque] militari inter corporis custodes iter facere cœpit. At insidiatores, postquam in eum locum agmen pervenit, decepti ordine atque vestitu, in eum faciunt impetum, qui suppositus erat. Prædixerat autem his Datames, cum quibus iter faciebat, ut parati essent facere, quod ipsum vidissent. Ipse, ut concurrentes insidiatores animadvertit, tela in eos conjècit. Hoc idem quum universi fecissent priusquam pervenirent ad eum, quem aggredi volebant confixi ceciderunt.

X. Hic tamen tam callidus vir extremo tempore captus est Mithridatis, Ariobarzanis filii, dolo. Namque is pollicitus est Regi, se eum interfecturum, si ei Rex permitteret, ut, quodcunque vellet, liceret impunè facere, fidemque de eâ re, more Persarum, dextrâ dedisset. Hanc ut accepit a Rege missam, copias parat et absens amicitiam cum Datame facit, Regis provincias vexat, castella expugnat, magnas prædas capit, quarum partim suis dispertit, partim ad Datamem mittit. Pari modo complura castella ei tradit. Hæc diu faciendo, persuasit homini, se infinitum adversùs Regem suscepisse bellum: quum nihilo magis, ne quam suspicionem illi præberet insidiarum, neque colloquium ejus petivit, neque in conspectum venire studuit. Sic absens amicitiam gerebat, ut non beneficiis mutuis, sed odio communi, quod erga Regem susceperant, contineri viderentur.

XI. Id quum satìs se confirmâsse arbitratus est, certiorem facit Datamem, tempus esse majores exercitus parari, bellum cum ipso Rege suscipi. Deque eâ re, si ei videretur, quo loco vellet, in colloquium veniret. Probatâ re, colloquendi tempus sumitur, locusque, quo conveniretur. Huc Mithridates cum uno, cui maximam habebat fidem, ante aliquot dies venit, compluribusque locis separatim gladios obruit, eaque loca diligenter notat. Ipso autem colloquendi die,

utrique, locum qui explorarent, atque ipsos scrutarentur, mittunt. Deinde ipsi sunt congressi. Hìc, quum aliquandiu in colloquio fuissent, et diversi discessissent jamque procul Datames abesset; Mithridates, priusquam ad suos perveniret, ne quam suspicionem pareret, in eundem locum revertitur, atque ibi, ubi telum erat impositum, resedit, ut si a lassitudine cuperet acquiescere; Datamemque revocavit, simulans se quiddam in colloquio esse oblitum. Interim telum, quod latebat, protulit, nudatumque vaginâ veste texit, ac Datami venienti ait, *digredientem se animadvertisse, locum quendam*, qui erat in conspectu, *ad castra ponenda esse idoneum*. Quem quum digito demonstraret, et ille conspiceret, aversum ferro transfixit: priùsque, quàm quisquam posset succurrere, interfecit. Ita vir, qui multos consilio, neminem perfidiâ ceperat, simulatâ captus est amicitiâ.

XV. EPAMINONDAS.

I. *Epaminondas, Polymni filius, Thebanus.* De hoc priusquam scribamus, hæc præcipienda videntur lectoribus, ne alienos mores ad suos referant; neve ea, quæ ipsis leviora sunt, pari modo apud cæteros fuisse arbitrentur. Scimus enim, musicen nostris moribus abesse ab principis personâ; saltare verò etiam in vitiis poni: quæ omnia apud Græcos et grata et laude digna ducuntur. Quum autem exprimere imaginem consuetudinis atque vitæ velimus Epaminondæ, nihil videmur debere prætermittere, quod pertineat ad eam declarandam. Quare dicemus primùm de genere ejus; deinde, quibus disciplinis et a quibus sit eruditus; tum de moribus, ingeniique facultatibus, et siqua alia digna memoriâ erunt: postremò de rebus gestis, quæ a plurimis omnium anteponuntur virtutibus.

II. Natus igitur patre, quo diximus, honesto genere, pauper jam a majoribus relictus; eruditus autem sic, ut nemo Thebanus magis. Nam et citharizare, et

cantare ad chordarum sonum doctus est a Dionysio, qui non minore fuit in musicis gloriâ, quàm Damon aut Lamprus, quorum pervulgata sunt nomina: cantare tibiis ab Olympiodoro, saltare a Calliphrone. At philosophiæ præceptorem habuit Lysim Tarentinum, Pythagoreum. Cui quidem sic fuit deditus, ut adolescens tristem et severum senem omnibus æqualibus suis in familiaritate anteposuerit; neque priùs eum a se dimiserit, quàm in doctrinis tantò antecesserit condiscipulos, ut facilè intelligi posset, pari modo superaturum omnes in cæteris artibus. Atque hæc ad nostram consuetudinem sunt levia, et potiùs contemnenda; at in Græciâ utìque olim magnæ laudi erant. Postquam ephebus factus est, et palæstræ dare operam cœpit; non tam magnitudini virium servivit, quàm velocitati. Illam enim ad athletarum usum, hanc ad belli existimabat utilitatem pertinere. Itaque exercebatur plurimùm currendo, et luctando ad eum finem, quoad stans complecti posset, atque contendere. In armis plurimum studii consumebat.

III. Ad hanc corporis firmitatem plurima etiam animi bona accesserant. Erat enim modestus, prudens, gravis, temporibus sapienter utens, peritus belli, fortis manu, animo maximo; adeò veritatis diligens, ut ne joco quidem mentiretur. Idem continens, clemens, patiensque admirandum in modum, non solùm populi, sed etiam amicorum ferens injurias; imprimisque commissa celans: quod interdum non minùs prodest, quàm disertè dicere; studiosus audiendi; ex hoc enim facillimè disci arbitrabatur. Itaque quum in circulum venisset, in quo aut de republicâ disputaretur, aut de philosophiâ sermo haberetur, nunquam inde priùs discessit, quàm ad finem sermo esset adductus. Paupertatem adeò facilè perpessus est, ut de republicâ nihil præter gloriam ceperit. Amicorum in se tuendo caruit facultatibus; fide ad alios sublevandos sæpè sic usus est, ut possit judicari, omnia ei cum amicis fuisse communia. Nam quum aut civium suorum aliquis ab hostibus esset captus, aut virgo amici

nubilis propter paupertatem collocari non posset, amicorum concilium habebat, et, quantum quisque daret, pro cujusque facultatibus imperabat. Eamque summam quum fecerat, priusquam acciperet pecuniam, adducebat eum, qui quærebat, ad eos, qui conferebant: eique ut ipsi numerarent, faciebat: ut ille, ad quem ea res perveniebat, sciret, quantum cuique deberet.

IV. Tentata autem ejus est abstinentia a Diomedonte Cyziceno. Namque is rogatu Artaxerxis Epaminondam pecuniâ corrumpendum susceperat. Hic magno cum pondere auri Thebas venit, et Micythum adolescentulum quinque talentis ad suam perduxit voluntatem: quem tum Epaminondas plurimùm diligebat. Micythus Epaminondam convenit, et causam adventùs Diomedontis ostendit. At ille Diomedonte coram, *Nihil*, inquit, *opus pecuniâ est. Nam si ea Rex vult, quæ Thebanis sint utilia, gratiis facere sum paratus; sin autem contraria, non habet auri atque argenti satìs; namque orbis terrarum divitias accipere nolo, pro patriæ caritate. Te, qui me incognitum tentasti, tuique similem existamasti, non miror, tibique ignosco; sed egredere properè, ne alios corrumpas, quum me non potueris. Tu, Micythe, argentum huic redde; nisi id confestim facis, ego te tradam magistratui.* Hunc Diomedon quum rogaret, *tu tutò exire, suaque, quæ attulisset, liceret efferre: Istud*, inquit, *faciam; neque tuâ causâ, sed meâ: ne, si tibi sit pecunia adempta, aliquis dicat, id ad me ereptum pervenisse, quod delatum acciperè noluissem.* A quo quum quæsisset, *quò se deduci vellet*, et ille, *Athenas*, dixisset; præsidium dedit, ut eò tutò perveniret. Neque verò id satìs habuit, sed etiam, ut inviolatus in navem ascenderet, per Chabriam Atheniensem, de quo suprà mentionem fecimus, effecit. Abstinentiæ erit hoc satìs testimonium. Plurima quidem proferre possemus; sed modus adhibendus est; quoniam uno hoc volumine *vitam excellentium virorum* concludere constituimus, quorum separatim

multis millibus versuum complures scriptores ante nos explicârunt.

V. Fuit etiam disertus, ut nemo Thebanus ei par esset eloquentiâ: neque minùs concinnus in brevitate respondendi, quàm in perpetuâ oratione ornatus. Habuit obtrectatorem Meneclidam quendam indidem Thebis, et adversarium in administrandâ republicâ, satìs exercitatum in dicendo, ut Thebanum scilicet: namque illi genti plus inest virium quàm ingenii. Is, quòd in re militari florere Epaminondam videbat, hortari solebat Thebanos, *ut pacem bello anteferrent*, ne illius imperatoris opera desideraretur. Huic ille, *Fallis*, inquit, *verbo cives tuos, quòd hos a bello avocas; otii enim nomine servitutem concilias. Nam paritur pax bello. Itaque qui eâ diutinâ volunt frui, bello exercitati esse debent. Quare si principes Græciæ esse vultis, castris est vobis utendum, non palæstrâ.* Idem ille Meneclidas quum huic objiceret, *quòd liberos non haberet, neque uxorem duxisset; maximèque insolentiam, quòd sibi Agamemnonis belli gloriam videretur consecutus: at*, ille, *desine*, inquit, *Meneclida, de uxore mihi exprobrare: nam nullius in istâ re minùs uti consilio volo.* Habebat enim Meneclidas suspicionem adulterii. *Quòd autem me Agamemnonem æmulari putas, falleris. Namque ille cum universâ Græciâ vix decem annis unam cepit urbem; ego contrà ex unâ urbe nostrâ dieque uno totam Græciam, Lacedæmoniis fugatis, liberavi.*

VI. Idem quum in conventum venisset Arcadum, petens ut societatem cum Thebanis et Argivis facerent, contràque Callistratus, Atheniensium legatus, qui eloquentiâ omnes eo præstabat tempore, postularet, ut potiùs amicitiam sequerentur Atticorum, et in oratione suâ multa invectus esset in Thebanos et Argivos, in eisque hoc posuisset; *animadvertere debere Arcadas, quales utraque civitas cives procreâsset, ex quibus de cæteris possent judicare Argivos enim fuisse Orestem et Alcmæonem, matricidas; Thebis Œdipum natum, qui, quum patrem suum in-*

terfecisset, ex matre liberos procreâsset. — spondendo Epaminondas, quum de cæteris perorâsset, postquam ad illa duo opprobria pervenit, *admirari se* dixit *stultitiam rhetoris Attici, qui non animadverterit, innocentes illos natos; domi scelere admisso, quum patriâ essent expulsi, receptos esse ab Atheniensibus.* Sed maximè ejus eloquentia eluxit Spartæ, legati ante pugnam Leuctricam. Quò quum omnium sociorum convenissent legati, coram frequentissimo legationum conventu sic Lacedæmoniorum tyrannidem coarguit, ut non minùs illâ oratione opes eorum concusserit, quàm Leuctricâ pugnâ. Tum enim perfecit, quod pòst apparuit, ut auxilio sociorum Lacedæmonii privarentur.

VII. Fuisse patientem suorumque injurias ferentem civium, quòd se patriæ irasci nefas esse duceret, hæc sunt testimonia. Quum eum propter invidiam cives præficere exercitui noluissent, duxque esset delectus belli imperitus, cujus errore eò esset deducta illa multitudo militum, ut omnes de salute pertimescerent, quòd locorum angustiis clausi ab hostibus obsidebantur, desiderari cœpta est Epaminondæ diligentia. Erat enim ibi privatus numero militis. A quo quum peterent opem, nullam adhibuit memoriam contumeliæ, et exercitum obsidione liberatum, domum reduxit incolumem. Neque verò hoc semel fecit, sed sæpius. Maximè autem fuit illustre, quum in Peloponnesum exercitum duxisset adversùs Lacedæmonios, haberetque collegas duos, quorum alter erat Pelopidas, vir fortis ac strenuus. Hic quum criminibus adversariorum omnes in invidiam venissent, ob eamque rem imperium his esset abrogatum, atque in eorum locum alii prætores successissent; Epaminondas populiscito non paruit, idemque ut facerent persuasit collegis, et bellum, quod susceperat, gessit. Namque animadvertebat, nisi id fecisset, totum exercitum propter prætorum imprudentiam inscientiamque belli periturum. Lex erat Thebis, quæ morte multabat, si quis imperium diutius retinuisset, quàm lege præfinitum

foret. Hanc Epaminondas quum reipublicæ conservandæ causâ latam videret, ad perniciem civitatis conferre noluit; et quatuor mensibus diutius, quàm populus jusserat, gessit imperium.

VIII. Postquam domum reditum est, collegæ ejus hoc crimine accusabantur. Quibus ille permisit, ut omnem causam in se transferrent, suâque operâ factum contenderent, ut legi non obedirent. Quâ defensione illis periculo liberatis, nemo Epaminondam responsurum putabat, quòd, quid diceret, non haberet. At ille in judicium venit: nihil eorum negavit, quæ adversarii crimini dabant, omniaque, quæ collegæ dixerant, confessus est, neque recusavit, quò minùs legis pœnam subiret; sed unum ab iis petivit, ut in periculo suo inscriberent: *Epaminondas a Thebanis morte multatus est, quòd eos coëgit apud Leuctra superare Lacedæmonios, quos ante se imperatorem nemo Bœotiorum ausus fuit aspicere in acie: quòdque uno prœlio non solùm Thebas ab interitu retraxit, sed etiam universam Græciam in libertatem vindicavit, eòque res utrorumque perduxit, ut Thebani Spartam oppugnarent, Lacedæmonii satis haberent, si salvi esse possent; neque priùs bellare destitit, quàm, Messenâ constitutâ, urbem eorum obsidione clausit.* Hæc quum dixisset, risus omnium cum hilaritate coörtus est: neque quisquam judex ausus est de eo ferre suffragium. Sic a judicio capitis maximâ discessit gloriâ.

IX. Hic extremo tempore imperator apud Mantineam quum acie instructâ audaciùs instaret hostes, cognitus a Lacedæmoniis, quòd in unius pernicie ejus patriæ sitam putabant salutem, universi in unum impetum fecerunt, neque priùs abscesserunt, quàm, magnâ cæde factâ, multisque occisis, fortissimè ipsum Epaminondam pugnantem, sparo eminus percussum, concidere viderunt. Hujus casu aliquantùm retardati sunt Bœotii; neque tamen priùs pugnâ excesserunt, quàm repugnantes profligârunt. At Epaminondas quum animadverteret, mortiferum se vulnus accepisse, simulque si ferrum, quod ex hastili in corpore reman

serat, extraxisset, animam statim emissurum: usque eò retinuit, quoad renuntiatum est, vicisse Bœotios. Id postquam audivit: *Satìs*, inquit, *vixi; invictus enim morior*. Tum ferro extracto confestim exanimatus est.

X. Hic uxorem nunquam duxit. In quo quum reprehenderetur, quòd liberos non relinqueret, a Pelopidâ, qui filium habebat infamem, malèque eum in eo patriæ consulere diceret: *Vide*, inquit, *ne tu pejùs consulas, qui talem ex te natum relicturus sis. Neque verò stirps mihi potest deesse; namque ex me natam relinquo pugnam Leuctricam, quæ non modò mihi superstes, sed etiam immortalis sit necesse est.* Quo tempore, duce Pelopidâ, exules Thebas occupârunt, et præsidium Lacedæmoniorum ex arce expulerunt, Epaminondas, quamdiu facta est cædes civium, domo se tenuit: quòd neque malos defendere volebat, neque impugnare, ne manus suorum sanguine cruentaret; namque omnem civilem victoriam funestam putabat. Idem, postquam apud Cadmeam pugnari cum Lacedæmoniis cœptum est, in primis stetit. Hujus de virtutibus vitâque satìs erit dictum, si hoc unum adjunxero, quod nemo eat inficias, Thebas et ante Epaminondam natum, et post ejus interitum, perpetuo alieno paruisse imperio; contra ea, quamdiu ille præfuerit reipublicæ, caput fuisse tòtius Græciæ. Ex quo intelligi potest, unum hominem pluris quàm civitatem fuisse.

XVI. PELOPIDAS.

I. *Pelopidas*, *Thebanus*, magis historicis, quam vulgo, notus. Cujus de virtutibus dubito quemadmodum exponam, quòd vereor, ne, si res explicare incipiam, non vitam ejus enarrare, sed historiam videar scribere; si tantummodo summas attigero, ne rudibus litterarum Græcarum minùs lucidè appareat, quantus fuerit ille vir. Itaque utrique rei occurram, quantùm potero, et medebor quum satietati tum ignorantiæ lectorum. Phœbidas Lacedæmonius, quum exercitum

Olynthum duceret, iterque per Thebas faceret, arcem oppidi, quæ Cadmea nominatur, occupavit impulsu perpaucorum Thebanorum, qui, adversariæ factioni quò faciliùs resisterent, Laconum rebus studebant: idque suo privato, non publico, fecit consilio. Quo facto eum Lacedæmonii ab exercitu removerunt pecuniâque multarunt: neque eò magis arcem Thebanis reddiderunt, quòd susceptis inimicitiis satius ducebant eos obsideri, quàm liberari. Nam post Peloponnesium bellum Athenasque devictas cum Thebanis sibi rem esse existimabant, et eos esse solos, qui adversùs resistere auderent. Hâc mente amicis suis summas potestates dederant, alteriusque factionis principes partim interfecerant, alios in exilium ejecerant: in quibus Pelopidas hic, de quo scribere exorsi sumus, pulsus, patriâ carebat.

II. Hi omnes ferè Athenas se contulerant, non quò sequerentur otium, sed ut, quemque ex proximo locum fors obtulisset, eo patriam recuperare niterentur. Itaque quum tempus est visum rei gerendæ, communiter cum his, qui Thebis idem sentiebant, diem delegerunt, ad inimicos opprimendos civitatemque liberandam, eum, quo maximi magistratus simul consueverant epulari. Magnæ sæpè res non ita magnis copiis sunt gestæ; sed profectò nunquam ab tam tenui initio tantæ opes sunt profligatæ. Nam duodecim adolescentuli coïerunt ex his, qui exilio erant multati, quum omnino non essent ampliùs centum, qui tanto se offerrent periculo. Quâ paucitate perculsa est Lacedæmoniorum potentia. Hi enim non magis adversariorum factioni, quàm Spartanis, eo tempore bellum intulerunt; qui principes erant totius Græciæ, quorum imperii majestas, neque ita multò pòst, Leuctricâ pugnâ, ab hoc initio perculsa, concidit. Illi igitur duodecim, quorum erat dux Pelopidas, quum Athenis interdiu exîssent, ut vesperascente cælo Thebas possent pervenire, cum canibus venaticis exierunt, retia ferentes, vestitu agresti, quò minore suspicione facerent iter. Qui quum tempore ipso,

quo studuerant, pervenissent, domum Charonis devenerunt, a quo et tempus et dies erat datus.

III. Hoc loco libet interponere, etsi sejunctum ab re positâ est, nimia fiducia quantæ calamitati soleat esse. Nam magistratuum Thebanorum statim ad aures pervenit, exules in urbem devenisse. Id illi, vino epulisque dediti, usque eò despexerunt, ut ne quærere quidem de tantâ re laborârint. Accessit etiam, quod magis aperiret eorum dementiam. Allata est enim epistola Athenis ab Archiâ hierophante, Archiæ, qui tum maximum magistratum Thebis obtinebat, in quâ omnia de profectione exulum perscripta erant. Quæ quum jam accubanti in convivio esset data, sicut erat, signatam sub pulvinum subjiciens, *in crastinum*, inquit, *differo res severas.* At illi omnes, quum jam nox processisset, vinolenti, ab exulibus, duce Pelopidâ, sunt interfecti. Quibus rebus confectis, vulgo ad arma libertatemque vocato, non solùm qui in urbe erant, sed etiam undique ex agris concurrerunt, præsidium Lacedæmoniorum ex arce pepulerunt, patriam obsidione liberaverunt, auctores Cadmeæ occupandæ partim occiderunt, partim in exilium ejecerunt.

IV. Hoc tàm turbido tempore, sicut suprà docuimus, Epaminondas, quoad cum civibus dimicatum est, domi quietus fuit. Itaque hæc liberandarum Thebarum propria laus est Pelopidæ: cæteræ ferè omnes communes cum Epaminondâ. Namque Leuctricâ pugnâ, imperatore Epaminondâ, hic fuit dux delectæ manûs, quæ prima phalangem prostravit Laconum. Omnibus præterea periculis adfuit. Sicut Spartam quum oppugnavit, alterum tenuit cornu: quòque Messena celeriùs restitueretur, legatus in Persas est profectus. Denique hæc fuit altera persona Thebis, sed tamen secunda ita, ut proxima esset Epaminondæ.

V. Conflictatus autem est cum adversâ fortunâ. Nam et initio, sicut ostendimus, exul patriâ caruit: et quum Thessaliam in potestatem Thebanorum cu-

peret redigere, legationisque jure satis tectum se arbitraretur, quod apud omnes gentes sanctum esse consuêsset, a tyranno Alexandro Pheræo simul cum Ismeniâ comprehensus, in vincula conjectus est. Hunc Epaminondas recuperavit, bello persequens Alexandrum. Post id factum, nunquam is animo placari potuit in eum, a quo erat violatus. Itaque persuasit Thebanis, ut subsidio Thessaliæ proficiscerentur, tyrannosque ejus expellerent. Cujus belli quum ei summa esset data, eòque cum exercitu profectus esset, non dubitavit, simul ac conspexit hostem, confligere. In quo prœlio Alexandrum ut animadvertit, incensus irâ equum in eum concitavit, proculque degressus a suis, conjectu telorum confossus concidit. Atque hoc secundâ victoriâ accidit. Nam jam inclinatæ erant tyrannorum copiæ. Quo facto, omnes Thessaliæ civitates interfectum Pelopidam coronis aureis et statuis æneis, liberosque ejus multo agro, donârunt.

XVII. AGESILAÜS.

I. *Agesilaüs*, *Lacedæmonius*, quum a cæteris scriptoribus, tum eximiè a Xenophonte Socratico collaudatus est; eo enim usus est familiarissimè. Hic primùm de regno cum Leotychide, fratris filio, habuit contentionem. Mos est enim a majoribus Lacedæmoniis traditus, ut duos haberent semper reges, nomine magis quàm imperio, ex duabus familiis Procli et Eurysthenis, qui principes ex progenie Herculis Spartæ reges fuerunt. Harum ex alterâ in alterius familiæ locum fieri non licebat. Itaque utraque suum retinebat ordinem. Primùm ratio habebatur, qui maximus natu esset ex liberis ejus, qui regnans decessisset. Sin is virilem sexum non reliquisset, tum deligebatur, qui proximus esset propinquitate. Mortuus erat Agis rex, frater Agesilaï. Filium reliquerat Leotychidem, quem ille natum non agnôrat: eundem moriens suum esse dixerat. Is de honore regni cum Agesilao suo

patruo contendit: neque id, quod petivit, consecutus est. Nam Lysandro suffragante, homine, ut ostendimus suprà, factioso, et his temporibus potente, Agesilaüs antelatus est.

II. Hic simul atque imperii potitus est, persuasit Lacedæmoniis, ut exercitum emitterent in Asiam, bellumque Regi facerent; docens, satius esse in Asiâ, quàm in Europâ, dimicari. Namque fama exierat, Artaxerxem comparare classes, pedestresque exercitus, quos in Græciam mitteret. Datâ potestate, tantâ celeritate usus est, ut priùs in Asiam cum copiis pervenerit, quàm Regii satrapæ eum scirent profectum. Quo factum est, ut omnes imparatos imprudentesque offenderet. Id ut cognovit Tissaphernes, qui summum imperium tum inter præfectos habebat Regios, inducias a Lacone petivit; simulans, se dare operam, ut Lacedæmoniis cum Rege conveniret, re autem verâ, ad copias comparandas: easque impetravit trimestres. Juravit autem uterque, se sine dolo inducias conservaturum. In quâ pactione summâ fide mansit Agesilaüs. Contra ea Tissaphernes nihil aliud, quàm bellum, comparavit. Id etsi sentiebat Laco, tamen jusjurandum servabat, *multùm*que *in eo se consequi* dicebat, *quòd Tissaphernes perjurio suo et homines suis rebus abalienaret, et deos sibi iratos redderet; se autem conservatâ religione confirmare exercitum, quum animadverteret deorum numen facere secum, hominesque sibi conciliari amiciores, quòd his studere consuêssent, quos conservare fidem viderent.*

III. Postquam induciarum præteriit dies, Barbarus non dubitans, quòd ipsius erant plurima domicilia in Cariâ, et ea regio his temporibus multò putabatur locupletissima, eò potissimùm hostes impetum facturos, omnes suas copias eò contraxerat. At Agesilaüs in Phrygiam se convertit, eamque priùs depopulatus est, quàm Tissaphernes usquam se moveret. Magnâ prædâ militibus locupletatis, Ephesum hiematum exercitum reduxit; atque ibi officinis armorum institutis, magnâ industriâ bellum apparavit. Et quò stud

ociùs armarentur insigniùsque ornarentur, præmia proposuit, quibus donarentur, quorum egregia in eâ re fuisset industria. Fecit idem in exercitationum generibus, ut, qui cæteris præstitissent, eos magnis afficeret muneribus. His igitur rebus effecit, ut et ornatissimum et exercitatissimum haberet exercitum. Huic quum tempus esset visum, copias extrahere ex hibernaculis, vidit, si, quò esset iter facturus, palàm pronuntiâsset, hostes non credituros, aliasque regiones præsidiis occupaturos, nec dubitaturos, aliud esse facturum, ac pronuntiâsset. Itaque quum ille Sardes iturum se dixisset, Tissaphernes eandem Cariam defendendam putavit. In quo quum eum opinio fefellisset, victumque se vidisset consilio; seró suis præsidio profectus est. Nam quum illò venisset, jam Agesilaüs, multis locis expugnatis, magnâ erat prædâ potitus. Laco autem, quum videret hostes equitatu superare, nunquam in campo sui fecit potestatem, et his locis manum conseruit, quibus plùs pedestres copiæ valerent. Repulit ergo, quotiescumque congressus est, multò majores adversariorum copias, et sic in Asiâ versatus est, ut omnium opinione victor duceretur.

IV. Hic quum jam animo meditaretur proficisci in Persas, et ipsum Regem adoriri, nuntius ei domo venit ephorûm jussu, bellum Athenienses et Bœotios indixisse Lacedæmoniis: quare venire ne dubitaret. In hoc non minùs ejus pietas suspicienda est, quàm virtus bellica. Qui quum victori præesset exercitui, maximamque haberet fiduciam regni Persarum potiundi; tantâ modestiâ dicto audiens fuit jussis absentium magistratuum, ut si privatus in comitio esset Spartæ. Cujus exemplum utinam imperatores nostri sequi voluissent! Sed illuc redeamus. Agesilaüs opulentissimo regno præposuit bonam existimationem, multòque gloriosiùs duxit, si institutis patriæ paruisset, quàm si bello superâsset Asiam. Hâc igitur mente Hellespontum copias trajecit, tantâque usus est celeritate, ut, quod iter Xerxes anno vertente confecerat, hic transierit triginta diebus. Quum jam haud ita

longè abesset a Peloponneso, obsistere ei conati sunt Athenienses et Bœotii, cæterique eorum socii, apud Coroneam; quos omnes gravi prœlio vicit. Hujus victoriæ vel maxima fuit laus, quòd, quum plerique ex fugâ se in templum Minervæ conjecissent, quæreretur que ab eo, quid his fieri vellet, etsi aliquot vulnera acceperat eo prœlio, ét iratus videbatur omnibus, qui adversùs arma tulerant, tamen antetulit iræ religionem, et eos vetuit violari. Neque verò hoc solùm in Græciâ fecit, ut templa deorum sancta haberet; sed etiam apud barbaros summâ religione omnia simulacra arasque conservavit. Itaque prædicabat, *mirari se, non sacrilegorum numero haberi, qui supplicibus eorum nocuissent; aut non gravioribus pœnis affici, qui religionem minuerent, quàm qui fana spoliarent.*

V. Post hoc prœlium, collatum est omne bellum circa Corinthum, ideoque *Corinthium* est appellatum. Hìc quum unâ pugnâ decem millia hostium, Agesilao duce, cecidissent, eoque facto opes adversariorum debilitatæ viderentur; tantùm abfuit ab insolentiâ gloriæ, ut commiseratus sit fortunam Græciæ; *quòd tam multi a se victi vitio adversariorum concidissent: namque illâ multitudine, si sana mens esset, Græciam supplicium Persas dare potuisse.* Idem quum adversarios intra mœnia compulisset, et ut Corinthum oppugnaret multi hortarentur; negavit *id suæ virtuti convenire: se enim eum esse* dixit, *qui ad officium peccantes redire cogeret, non qui urbes nobilissimas expugnaret Græciæ. Nam si*, inquit, *eos extinguere voluerimus, qui nobiscum adversùs barbaros steterunt, nosmetipsi nos expugnaverimus, illis quiescentibus: quo facto, sine negotio, quum voluerint, nos oppriment.*

VI. Interim accidit illa calamitas apud Leuctra Lacedæmoniis. Quò ne proficisceretur, quum a plerisque ad exeundum premeretur, ut si de exitu divinaret, exire noluit. Idem, quum Epaminondas Spartam oppugnaret, essetque sine muris oppidum, talem se imperatorem præbuit, ut eo tempore omnibus apparuerit, nisi ille fuisset, Spartam futuram non fuisse

In quo quidem discrimine celeritas ejus consilii saluti fuit universis. Nam quum quidam adolescentuli, hostium adventu perterriti, ad Thebanos transfugere vellent, et locum extra urbem editum cepissent, Agesilaüs, qui perniciosissimum fore videret, si animadversum esset, quenquam ad hostes transfugere conari, cum suis eò venit, atque, ut si bono animo fecissent, laudavit consilium eorum, quòd eum locum occupâssent, et se id quoque fieri debere animadvertisse. Sic adolescentulos simulatâ laudatione recuperavit, et adjunctis de suis comitibus locum tutum reliquit. Namque illi, aucto numero eorum, qui expertes erant consilii, commovere se non sunt ausi, eòque libentiùs, quòd latere arbitrabantur, quæ cogitârant.

VII. Sine dubio post Leuctricam pugnam Lacedæmonii se nunquam refecerunt, neque pristinum imperium recuperârunt: quum interim Agesilaüs non destitit, quibuscunque rebus posset, patriam juvare. Nam quum præcipuè Lacedæmonii indigerent pecuniâ, ille omnibus, qui a rege defecerant, præsidio fuit: a quibus magnâ donatus pecuniâ, patriam sublevavit. Atque in hoc illud imprimis fuit admirabile; quum maxima munera ei ab regibus et dynastis civitatibusque conferrentur, nihil unquam [in] domum suam contulit, nihil de victu, nihil de vestitu Laconum mutavit. Domo eâdem fuit contentus, quâ Eurysthenes, progenitor majorum suorum, fuerat usus: quam qui intrârat, nullum signum libidinis, nullum luxuriæ videre poterat; contrà, plurima patientiæ atque abstinentiæ. Sic enim erat instructa, ut nullâ in re differret a cujusvis inopis atque privati.

VIII. Atque hic tantus vir, ut naturam fautricem habuerat in tribuendis animi virtutibus, sic maleficam nactus est in corpore fingendo. Nam et staturâ fuit humili, et corpore exiguo, et claudus altero pede. Quæ res etiam nonnullam afferebat deformitatem. Atque ignoti faciem ejus quum intuerentur, contemnebant: qui autem virtutes noverant, non poterant admirari satis. Quod ei usu venit, quum annorum octo-

ginta subsidio Tacho in Ægyptum ivisset, et in actâ cum suis accubuisset sine ullo tecto; stratumque haberet tale, ut terra tecta esset stramentis, neque huc ampliùs quàm pellis esset injecta; eodemque comites omnes accubuissent, vestitu humili atque obsoleto, ut eorum ornatus non modò in his regem neminem significaret, sed hominis non beatissimi suspicionem præberet. Hujus de adventu fama quum ad regios esset perlata, celeriter munera eò cujusque generis sunt allata. His quærentibus Agesilaüm, vix fides facta est, unum esse ex his, qui tum accubabant. Qui quum regis verbis, quæ attulerant, dedissent, ille præter vitulina, et hujusmodi genera opsonii, quæ præsens tempus desiderabat, nihil accepit; unguenta, coronas, secundamque mensam servis dispertiit; cætera referri jussit. Quo facto eum barbari magis etiam contempserunt, quòd eum ignorantiâ bonarum rerum illa potissimùm sumpsisse arbitrabantur. Hic quum ex Ægypto reverteretur, donatus a rege Nectanabide ducentis viginti talentis, quæ ille muneri populo suo daret, venissetque in portum qui Menelaï vocatur, jacens inter Cyrenas et Ægyptum, in morbum implicitus decessit. Ibi eum amici, quò Spartam faciliùs perferre possent, quòd mel non habebant, cerâ circum fuderunt; atque ita domum retulerunt.

XVIII. EUMENES.

I. *Eumenes*, *Cardianus*. Hujus si virtuti par data esset fortuna, non ille quidem major, sed multò illustrior, atque etiam honoratior; quòd magnos homines virtute metimur, non fortunâ. Nam quum ætas ejus incidisset in ea tempora, quibus Macedones florerent, multùm ei detraxit inter hos viventi, quòd alienæ erat civitatis; neque aliud huic defuit, quàm generosa stirps. Etsi ille domestico summo genere erat, tamen Macedones eum sibi aliquando anteponi indignè ferebant; neque tamen non patiebantur. Vincebat enim omnes curâ, vigilantiâ, patientiâ, calliditate, et celeri-

tate ingenii. Hic peradolescentulus ad amicitiam accessit Philippi, Amyntæ filii, brevique tempore in intimam pervenit familiaritatem. Fulgebat enim jam in adolescentulo indoles virtutis Itaque eum habuit ad manum scribæ loco; quod multò apud Graios honorificentius est, quàm apud Romanos. Nam apud nos, reverà sicut sunt, mercenarii scribæ existimantur; at apud illos contrariò nemo ad id officium admittitur, nisi honesto loco, et fide, et industriâ cognitâ: quòd necesse est, omnium consiliorum eum esse participem. Hunc locum tenuit amicitiæ apud Philippum annos septem. Illo interfecto eodem gradu fuit apud Alexandrum annos tredecim. Novissimo tempore præfuit etiam alteræ equitum alæ, quæ Hetærice appellabatur. Utrique autem in consilio semper adfuit, et omnium rerum habitus est particeps.

II. Alexandro Babylone mortuo, quum regna singulis familiaribus dispartirentur, et summa rerum tradita esset tuenda eidem, cui Alexander moriens annulum suum dederat, Perdiccæ; ex quo omnes conjecerant, eum regnum ei commendâsse, quoad liberi ejus in suam tutelam pervenissent; (aberant enim Craterus, et Antipater, qui antecedere hunc videbantur; mortuus erat Hephæstio, quem unum Alexander, quod facilè intelligi posset, plurimi fecerat;) hoc tempore data est Eumeni Cappadocia, sive potiùs dicta; nam tum in hostium erat potestate. Hunc sibi Perdiccas adjunxerat magno studio, quòd in homine fidem et industriam magnam videbat; non dubitans, si eum pellexisset, magno usui fore sibi in his rebus, quas apparabat. Cogitabat enim, quod ferè omnes in magnis imperiis concupiscunt, omnium partes corripere atque complecti. Neque verò hoc ille solus fecit; sed cæteri quoque omnes, qui Alexandri fuerant amici. Primus Leonnatus Macedoniam præoccupare destinaverat. Is multis magnisque pollicitationibus persuadere Eumeni studuit, ut Perdiccam desereret, ac secum faceret societatem. Quum perducere eum non posset, inter-

ficere conatus est; et fecisset, nisi ille clam noctu ex præsidiis ejus effugisset.

III Interim conflata sunt illa bella, quæ ad internecionem post Alexandri mortem gesta sunt: omnesque concurrerunt ad Perdiccam opprimendum. Quem etsi infirmum videbat, quòd unus omnibus resistere cogebatur, tamen amicum non deseruit; neque salutis, quàm fidei, fuit cupidior. Præfecerat eum Perdiccas ei parti Asiæ, quæ inter Taurum montem jacet atque Hellespontum; et illum unum opposuerat Europæis adversariis. Ipse Ægyptum oppugnatum adversùs Ptolemæum erat profectus. Eumenes quum neque magnas copias, neque firmas haberet, quòd inexercitatæ. et non multò antè erant contractæ; adventare autem dicerentur, Hellespontumque transîsse Antipater et Craterus, magno cum exercitu Macedonum, viri quum claritate, tum usu belli præstantes: (Macedones verò milites eâ tunc erant famâ, quâ nunc Romani feruntur; etenim semper habiti sunt fortissimi, qui summam imperii potirentur;) Eumenes intelligebat, si copiæ suæ cognoscerent adversùs quos ducerentur, non modò non ituras, sed simul cum nuntio dilapsuras. Itaque hoc ejus fuit prudentissimum consilium, ut deviis itineribus milites duceret, in quibus vera audire non possent, et his persuaderet, se contra quosdam barbaros proficisci. Itaque tenuit hoc propositum, et priùs in aciem exercitum eduxit, prœliumque commisit, quàm milites sui scirent, cum quibus arma conferrent. Effecit etiam illud locorum præoccupatione, ut equitatu potiùs dimicaret, quo plùs valebat, quàm peditatu, quo erat deterior.

IV. Quorum acerrimo concursu quum magnam partem diei esset pugnatum, cadit Craterus dux, et Neoptolemus, qui secundum locum imperii tenebat. Cum hoc concurrit ipse Eumenes. Qui quum inter se complexi in terram ex equis decidissent, ut facilè intelligi posset, inimicâ mente contendisse, animoque magis etiam pugnâsse quàm corpore; non priùs distracti sunt, quàm alterum anima reliquerit. Ab hoc

aliquot plagis Eumenes vulneratur, neque eò magis ex prœlio excessit, sed acriùs hostes instititit. Hîc equitibus profligatis, interfecto duce Cratero, multis præterea et maximè nobilibus captis, pedester exercitus, quòd in ea loca erat deductus, ut invito Eumene elabi non posset, pacem ab eo petiit. Quam quum impetrâsset, in fide non mansit, et se, simul ac potuit, ad Antipatrum recepit. Eumenes Craterum, ex acie semivivum elatum, recreare studuit. Quum id non posset, pro hominis dignitate, proque pristinâ amicitiâ (namque illo usus erat, Alexandro vivo, familiariter) amplo funere extulit, ossaque in Macedoniam uxori ejus ac liberis remisit.

V. Hæc dum apud Hellespontum geruntur, Perdiccas apud flumen Nilum interficitur a Seleuco et Antigono ; rerumque summa ad Antipatrum defertur. Hìc, qui deseruerant, exercitu suffragium ferente, capitis absentes damnantur. In his Eumenes. Hâc ille percussus plagâ non succubuit, neque eò seciùs bellum administravit. Sed exiles res animi magnitudinem, etsi non frangebant, tamen minuebant. Hunc persequens Antigonus, quum omni genere copiarum abundaret, sæpè in itineribus vexabatur ; neque unquam ad manum accedere licebat, nisi his locis, quibus pauci possent multis resistere. Sed extremo tempore, quum consilio capi non posset, multitudine circumventus est. Hinc tamen, multis suis amissis, se expedivit, et in castellum Phrygiæ, quód Nora appellatur, confugit. In quo quum circumsederetur, et vereretur, ne uno loco manens equos militares perderet, quòd spatium non esset agitandi ; callidum fuit ejus inventum, quemadmodum stans jumentum calefieri exercerique posset, quò libentiùs et cibo uteretur, et a corporis motu non removeretur. Substringebat caput loro altiùs, quàm ut prioribus pedibus planè terram posset attingere ; deinde pòst verberibus cogebat exultare, et calces remittere. Qui motus non minùs sudorem excutiebat, quàm si in spatio decurreret. Quo factum est, quod omnibus mirabile est

visum, ut jumenta æquè nitida ex castello educeret. quum complures menses in obsidione fuisset, ac si in campestribus ea locis habuisset. In hâc conclusione, quotiescumque voluit, apparatum et munitiones Antigoni aliàs incendit, aliàs disjecit. Tenuit autem se uno loco, quamdiu fuit hiems. Sed quòd castrum subsidia habere non poterat, et ver appropinquabat, simulatâ deditione, dum de conditionibus tractat, præfectis Antigoni imposuit; seque ac suos omnes extraxit incolumes.

VI. Ad hunc Olympias, mater quæ fuerat Alexandri, quum litteras et nuntios misisset in Asiam, consultum, utrùm repetitum Macedoniam veniret (nam tum in Epiro habitabat), et eas res occuparet, huic ille primùm suasit, ne se moveret, et expectaret, quoad Alexandri filius regnum adipisceretur. Sin aliquâ cupiditate raperetur in Macedoniam, omnium injuriarum oblivisceretur, et in neminem acerbiore uteretur imperio. Horum nihil ea fecit. Nam et in Macedoniam profecta est, et ibi crudelissimè se gessit. Petiit autem ab Eumene absente, ne pateretur, Philippi domûs et familiæ inimicissimos stirpem quoque interimere, ferretque opem liberis Alexandri. Quàm veniam si sibi daret, quàm primùm exercitus pararet, quos sibi subsidio adduceret. Id quò faciliùs faceret, se omnibus præfectis, qui in officio manebant, misisse litteras, ut ei parerent, ejusque consiliis uterentur. His rebus Eumenes permotus, satius duxit, si ita tulisset fortuna, perire bene meritis referentem gratiam, quàm ingratum vivere.

VII. Itaque copias contraxit, bellum adversùs Antigonum comparavit. Quòd unà erant Macedones complures nobiles (in his Peucestes, qui corporis custos fuerat Alexandri, tum autem obtinebat Persidem; et Antigenes, cujus sub imperio phalanx erat Macedonum) invidiam verens (quam tamen effugere non potuit), si potiùs ipse alienigena summi imperii potiretur, quàm alii Macedonum, quorum ibi erat multitudo; in principiis nomine Alexandri statuit

tabernaculum, in eoque sellam auream cum sceptro ac diademate jussit poni, eòque omnes quotidie convenire, ut ibi de summis rebus consilia caperentur: credens minore se invidiâ fore, si specie imperii, nominisque simulatione Alexandri, bellum videretur administrare: quod et fecit. Nam quum non ad Eumenis principia, sed ad regia conveniretur, atque ibi de rebus deliberaretur, quodam modo latebat; quum tamen per eum unum gererentur omnia.

VIII. Hic in Parætacis cum Antigono conflixit, non acie instructâ, sed in itinere: eumque malè acceptum in Mediam hiematum coegit redire. Ipse in finitimâ regione Persidis hiematum copias divisit, non ut voluit, sed ut militum cogebat voluntas. Namque illa phalanx Alexandri magni, quæ Asiam peragrârat, deviceratque Persas, inveterata quum gloriâ, tum etiam licentiâ, non parere se ducibus, sed imperare postulabat: ut nunc veterani faciunt nostri. Itaque periculum est, ne faciant, quod illi fecerunt suâ intemperantiâ nimiâque licentiâ, ut omnia perdant, neque minùs eos, cum quibus steterint, quàm adversùs quos fecerint. Quòd si quis illorum veteranorum legat facta, paria horum cognoscat: neque rem ullam, nisi tempus, interesse judicet. Sed ad illos revertar. Hiberna sumpserant non ad usum belli, sed ad ipsorum luxuriam; longèque inter se discesserant. Hoc Antigonus quum comperisset, intelligeretque, se parem non esse paratis adversariis, statuit aliquid sibi consilii novi esse capiendum. Duæ erant viæ, quà ex Medis, ubi ille hiemabat, ad adversariorum hibernacula posset perveniri. Quarum brevior per loca deserta, quæ nemo incolebat propter aquæ inopiam, cæterùm dierum erat ferè decem; illa autem, quâ omnes commeabant, altero tanto longiorem habebat anfractum; sed erat copiosa, omniumque rerum abundans. Hâc si proficisceretur, intelligebat, priùs adversarios rescituros de suo adventu, quàm ipse tertiam partem confecisset itineris; sin per loca sola contenderet, sperabat se imprudentem hostem oppressurum. Ad hanc rem

conficiendam imperavit, quàm plurimos utres atque etiam culleos comparari: post hæc pabulum, præterea cibaria cocta dierum decem, ut quàm minimè fieret ignis in castris. Iter, quod habebat, omnes celat. Sic paratus, quà constituerat, proficiscitur.

IX. Dimidium ferè spatium confecerat, quum ex fumo castrorum ejus suspicio allata est ad Eumenem, hostem appropinquare. Conveniunt duces; quæritur, quid opus sit facto. Intelligebant omnes, tam celeriter copias ipsorum contrahi non posse, quàm Antigonus adfuturus videbatur. Hìc omnibus titubantibus, et de rebus summis desperantibus, Eumenes ait, si celeritatem velint adhibere, et imperata facere, quod antè non fecerint, se rem expediturum. Nam quòd diebus quinque hostis transîsse posset, se effecturum, ut non minùs totidem dierum spatio retardaretur: quare circumirent, suas quisque copias contraheret. Ad Antigoni autem refrenandum impetum, tale capit consilium. Certos mittit homines ad infimos montes, qui obvii erant itineri adversariorum: hisque præcipit, ut primâ nocte, quàm latissimè possint, ignes faciant quàm maximos, atque hos secundâ vigiliâ minuant, tertiâ perexiguos reddant: et assimulatâ castrorum consuetudine suspicionem injiciant hostibus, his locis esse castra, ac de eorum adventu prænuntiatum; idemque posterâ nocte faciant. Quibus imperatum erat, diligenter præceptum curant. Antigonus, tenebris obortis, ignes conspicatur: credit de suo adventu esse auditum, et adversarios illuc suas contraxisse copias. Mutat consilium, et, quoniam imprudentes adoriri non posset, flectit iter suum, et illum anfractum longiorem copiosæ viæ capit; ibique diem unum opperitur, ad lassitudinem sedandam militum ac reficienda jumenta, quò integriore exercitu decerneret.

X. Sic Eumenes callidum imperatorem vicit consilio, celeritatemque impedivit ejus; neque tamen multùm profecit. Nam invidiâ ducum, cum quibus erat, perfidiâque [militum] Macedonum veteranorum,

quum superior prœlio discessisset, Antigono est deditus, quum exercitus ei ter antè, separatis temporibus, juràsset, se eum defensurum, nec unquam deserturum. Sed tanta fuit nonnullorum virtutis obtrectatio, ut fidem amittere mallent, quàm eum non prodere. Atque hunc Antigonus, quum ei fuisset infestissimus, conservâsset, si per suos esset licitum, quòd ab nullo se plùs adjuvari posse intelligebat in his rebus, quas impendere jam apparebat omnibus. Imminebant enim Seleucus, Lysimachus, Ptolemæus, opibus jam valentes; cum quibus ei de summis rebus erat dimicandum. Sed non passi sunt hi qui circà erant; quòd videbant, Eumene recepto, omnes præ illo parvi futuros. Ipse autem Antigonus adeò erat incensus, ut nisi magnâ spe maximarum rerum leniri non posset.

XI. Itaque quum eum in custodiam dedisset, et præfectus custodum quæsisset, quemadmodum servari vellet? *ut acerrimum*, inquit, *leonem aut ferocissimum elephantum.* Nondum enim statuerat, conservaret eum, necne. Veniebat autem ad Eumenem utrumque genus hominum; et qui propter odium fructum oculis ex ejus casu capere vellent, et qui propter veterem amicitiam colloqui consolarique cuperent; multi etiam, qui ejus formam cognoscere studebant, qualis esset, quem tamdiu tamque valde timuissent, cujus in pernicie positam spem habuissent victoriæ. At Eumenes, quum diutiùs in vinculis esset, ait Onomarcho, penes quem summa imperii erat custodiæ, *se mirari, quare jam tertium diem sic teneretur: non enim hoc convenire Antigoni prudentiæ, ut sic deuteretur victo; quin aut interfici, aut missum fieri juberet.* Hic quum ferociùs Onomarcho loqui videretur, *Quid? tu*, inquit, *animo si isto eras, cur non in prœlio cecidisti potiùs quàm in potestatem inimici venires?* Huic Eumenes, *Utinam quidem istud evenisset!* inquit, *sed eò non accidit, quòd nunquam cum fortiore sum congressus. Non enim cum quoquam arma contuli, quin is mihi succubuerit. Non enim virtute hostium, sed amicorum perfidiâ de-*

cidi. Neque id falsum. Nam et dignitate fuit honestâ et viribus ad laborem ferendum firmis, neque tam magno corpore, quàm figurâ venustâ.

XII. De hoc Antigonus, quum solus constituere non auderet, ad consilium retulit. Hìc quum plerique omnes primò perturbati admirarentur, non jam de eo sumptum esse supplicium, a quo tot annos adeò essent malè habiti, ut sæpè ad desperationem forent adducti, quique maximos duces interfecisset; denique in quo uno esset tantùm, ut, quoad ille viveret, ipsi securi esse non possent; interfecto, nihil habituri negotii essent; postremò, si illi redderet salutem, quærebant quibus amicis esset usurus? sese enim cum Eumene apud eum non futuros. Hic, cognitâ consilii voluntate, tamen usque ad septimum diem deliberandi sibi spatium reliquit. Tum autem, quum jam vereretur, nequa seditio exercitûs oriretur, vetuit, ad eum quenquam admitti, et quotidianum victum amoveri jussit. Nam negabat, se ei vim allaturum, qui aliquando fuisset amicus. Hic tamen non ampliùs quàm triduum fame fatigatus, quum castra moverentur, insciente Antigono jugulatus est a custodibus.

XIII. Sic Eumenes annorum quinque et quadraginta, quum ab anno vicesimo, utì suprà ostendimus, septem annos Philippo apparuisset, et tredecim apud Alexandrum eundem locum obtinuisset, in his unum equitum alæ præfuisset, post autem Alexandri magni mortem imperator exercitus duxisset, summosque duces partim repulisset, partim interfecisset, captus non Antigoni virtute, sed Macedonum perjurio, talem habuit exitum vitæ. In quo quanta fuerit omnium opinio eorum, qui post Alexandrum magnum reges sunt appellati, ex hoc facillimè potest judicari, quòd nemo, Eumene vivo, rex apellatus est, sed præfectus; iidem, post hujus occasum, statim regium ornatum nomenque sumpserunt: neque, quod initio prædicârunt, se Alexandri liberis regnum servare, id præstare voluerunt; et uno propugnatore sublato, quid sentirent, aperuerunt. Hujus sceleris principes

fuerunt Antigonus, Ptolemæus, Seleucus, Lysimachus, Cassander. Antigonus autem Eumenem mortuum propinquis ejus sepeliendum tradidit. Hi militari honesto funere, comitante toto exercitu, humaverunt; ossaque ejus in Cappadociam ad matrem atque uxorem liberosque ejus deportanda curârunt.

XIX. PHOCION.

I. *Phocion*, *Atheniensis*. Etsi sæpè exercitibus præfuit, summosque magistratus cepit, tamen multò ejus notior integritas vitæ, quàm rei militaris labor. Itaque hujus memoria est nulla; illius autem magna fama: ex quo cognomine *Bonus* est appellatus. Fuit enim perpetuò pauper, quum divitissimus esse posset propter frequentes delatos honores, potestatesque summas, quæ ei a populo dabantur. Hic quum a rege Philippo munera magnæ pecuniæ repudiaret, legatique hortarentur accipere, simulque admonerent, si ipse his facilè careret, liberis tamen suis prospiceret, quibus difficile esset, in summâ paupertate tantam paternam tueri gloriam: his ille, *si mei similes erunt*, *idem hic*, inquit, *agellus illos alet*, *qui me ad hanc dignitatem perduxit; sin dissimiles sunt futuri*, *nolo meis impensis illorum ali augerique luxuriam.*

II. Idem quum prope ad annum octogesimum prosperâ pervenisset fortunâ, extremis temporibus magnum in odium pervenit suorum civium. Primò quòd cum Demade de urbe tradendâ Antipatro consenserat; ejusque consilio Demosthenes cum cæteris, qui bene de republicâ mereri existimabantur, populiscito in exilium erant expulsi; neque in eo solùm offenderat, quòd patriæ malè consuluerat, sed etiam quòd amicitiæ fidem non præstiterat. Namque auctus adjutusque a Demosthene, eum, quem tenebat, ascenderat gradum, quum adversùs Charetem eum subornaret; ab eodem in judiciis, quum capitis causam diceret, defensus aliquoties, liberatus discesserat. Hunc non solùm in periculis non defendit, sed etiam

prodidit. Concidit autem maximè uno crimine, quòd, quum apud eum summum esset imperium populi, et Nicanorem, Cassandri præfectum, insidiari Piræo Atheniensium, a Dercyllo moneretur, idemque postularet ut provideret ne commeatibus civitas privaretur, huic, audiente populo, Phocion negavit esse periculum, seque ejus rei obsidem fore pollicitus est. Neque ita multò pòst Nicanor Piræo est potitus. Ad quem recuperandum quum populus armatus concurrisset, ille non modò neminem ad arma vocavit, sed ne armatis quidem præesse voluit. [sine quo Athenæ omnino esse non possunt.]

III. Erant eo tempore Athenis duæ factiones; quarum una populi causam agebat, altera optimatum. In hâc erat Phocion et Demetrius Phalereus. Harum utraque Macedonum patrociniis nitebatur. Nam populares Polysperchonti favebant; optimates cum Cassandro sentiebant. Interim a Polysperchonte Cassander Macedoniâ pulsus est. Quo facto populus superior factus, statim duces adversariæ factionis, capitis damnatos, patriâ pepulit; in his Phocionem et Demetrium Phalereum: deque eâ re legatos ad Polysperchontem misit, qui ab eo peterent, ut sua decreta confirmaret. Huc eòdem profectus est Phocion. Quò ut venit, causam apud Philippum regem verbo, re ipsâ quidem apud Polysperchontem jussus est dicere. Namque is tum regis rebus præerat. Hic ab Agnonide accusatus, quòd Piræum Nicanori prodidisset, ex consilii sententiâ, in custodiam conjectus, Athenas deductus est, ut ibi de eo legibus fieret judicium.

IV. Huc ubi perventum est, quum propter ætatem pedibus jam non valeret, vehiculoque portaretur, magni concursus sunt facti; quum alii, reminiscentes veteris famæ, ætatis misererentur; plurimi verò irâ exacuerentur, propter proditionis suspicionem Piræi, maximèque quòd adversùs populi commoda in senectute steterat. Quâ de re ne perorandi quidem ei data est facultas, et dicendi causam. Inde judicio, legiti-

mis quibusdam confectis, damnatus, traditus est undecimviris, quibus ad supplicium, more Atheniensium, publicè damnati tradi solent. Hic quum ad mortem duceretur, obvius ei fuit Emphyletus, quo familiariter fuerat usus. Is quum lacrimans dixisset, *O quàm indigna perpeteris Phocion!* huic ille, *At non inopinata*, inquit; *hunc enim exitum plerique clari viri habuerunt Athenienses.* In hoc tantum fuit odium multitudinis, ut nemo ausus sit eum liber sepelire. Itaque a servis sepultus est.

XX. TIMOLEON.

I. *Timoleon, Corinthius.* Sine dubio magnus omnium judicio hic vir extitit. Namque huic uni contigit, quod nescio an ulli, ut et patriam, in quâ erat natus, oppressam a tyranno liberaret, et a Syracusis, quibus auxilio erat missus, inveteratam servitutem depelleret, totamque Siciliam, multos annos bello vexatam a barbarisque oppressam, suo adventu in pristinum restitueret. Sed in his rebus non simplici fortunâ conflictatus est, et, id quod difficilius putatur, multò sapientiùs tulit secundam, quàm adversam fortunam. Nam quum frater ejus Timophanes, dux a Corinthiis delectus, tyrannidem per milites mercenarios occupâsset, particepsque regni posset esse; tantùm abfuit a societate sceleris, ut antetulerit suorum civium libertatem fratris saluti, et patriæ parere legibus quàm imperare, satius duxerit. Hâc mente, per haruspicem communemque affinem, cui soror, ex eisdem parentibus nata, nupta erat fratrem tyrannum interficiendum curavit. Ipse non modò manus non attulit, sed ne aspicere quidem fraternum sanguinem voluit. Nam, dum res conficeretur, procul in præsidio fuit, ne quis satelles posset succurrere. Hoc præclarissimum ejus facinus non pari modo probatum est ab omnibus. Nonnulli enim læsam ab eo pietatem putabant, et invidiâ laudem virtutis obterebant. Mater verò post id factum neque domum ad se filium admisit, neque

aspexit, quin eum fratricidam impiumque detestans compellaret. Quibus rebus ille adeò est commotus, ut nonnunquam vitæ finem facere voluerit, atque ex ingratorum hominum conspectu morte decedere.

II. Interim, Dione Syracusis interfecto, Dionysius rursus Syracusarum potitus est; cujus adversarii opem a Corinthiis petierunt, ducemque, quo in bello uterentur, postulârunt. Huc Timoleon missus, incredibili felicitate Dionysium totâ Siciliâ depulit. Quum interficere posset, noluit, tutòque ut Corinthum perveniret, effecit; quòd utrorumque Dionysiorum opibus Corinthii sæpè adjuti fuerant. Cujus benignitatis memoriam volebat extare; eamque præclaram victoriam ducebat, in quâ plus esset clementiæ, quàm crudelitatis; postremò, ut non solùm auribus acciperetur, sed etiam oculis cerneretur, quem et ex quanto regno ad quam fortunam detrusisset. Post Dionysii decessum cum Hicetâ bellavit, qui adversatus fuerat Dionysio; quem non odio tyrannidis dissensisse, sed cupiditate, indicio fuit, quòd ipse, expulso Dionysio, imperium dimittere noluit. Hoc superato, Timoleon maximas copias Carthaginiensium apud Crimissum flumen fugavit, ac satìs habere coëgit, si liceret Africam obtinere, qui jam complures annos possessionem Siciliæ tenebant. Cepit etiam Mamercum, Italicum ducem, hominem bellicosum et potentem, qui tyrannos adjutum in Siciliam venerat.

III. Quibus rebus confectis, quum propter diuturnitatem belli non solùm regiones sed etiam urbes desertas videret, conquisivit, quos potuit, primùm Siculos; deinde Corintho arcessivit colonos, quòd ab his initio Syracusæ erant conditæ. Civibus veteribus sua restituit; novis bello vacuefactas possessiones divisit; urbium mœnia disjecta fanaque deserta refecit; civitatibus leges libertatemque reddidit. Ex maximo bello tantum otium toti insulæ conciliavit, ut hic conditor urbium earum, non illi, qui initio deduxerant, videretur. Arcem Syracusis, quam munierat Dionysius ad urbem obsidendam, a fundamentis disje-

cit; cætera tyrannidis propugnacula demolitus est, deditque operam, ut quàm minimè multa vestigia servitutis manerent. Quum tantis esset opibus, ut etiam invitis imperare posset, tantum autem haberet amorem omnium Siculorum, ut, nullo recusante, regnum obtineret, maluit se diligi, quàm metui. Itaque, quum primùm potuit, imperium deposuit, et privatus Syracusis, quod reliquum vitæ fuit, vixit. Neque verò id imperitè fecit. Nam quod cæteri reges imperio potuerunt, hic benevolentiâ tenuit. Nullus honos huic defuit; neque postea res ulla Syracusis gesta est publicè, de quâ priùs sit decretum, quàm Timoleontis sententiâ cognitâ. Nullius unquam consilium non modò antelatum, sed ne comparatum quidem est. Neque id magis benevolentiâ factum est, quàm prudentiâ.

IV. Hic quum ætate jam provectus esset, sine ullo morbo lumina oculorum amisit. Quam calamitatem ita moderatè tulit, ut neque eum querentem quisquam audierit, neque eò minùs privatis publicisque rebus interfuerit. Veniebat autem in theatrum, quum ibi concilium populi haberetur, propter valetudinem vectus jumentis junctis, atque ita de vehiculo, quæ videbantur, dicebat; neque hoc illi quisquam tribuebat superbiæ. Nihil enim unquam neque insolens neque gloriosum ex ore ejus exiit. Qui quidem, quum suas laudes audiret prædicari, nunquam aliud dixit, quàm se in eâ re maximas diis gratias agere atque habere, quòd, quum Siciliam recreare constituissent, tum se potissimùm ducem esse voluissent. Nihil enim rerum humanarum sine deorum numine geri putabat. Itaque suæ domi sacellum Αυτοματίας constituerat, idque sanctissimè colebat.

V. Ad hanc hominis excellentem bonitatem mirabiles accesserunt casus. Nam prœlia maxima natali die suo fecit omnia; quo factum est, ut ejus diem natalem festum haberet universa Sicilia. Huic quidam Lamestius, homo petulans et ingratus, vadimonium quum vellet imponere, quòd cum illo se lege agere

diceret, et complures concurrissent, qui procacitatem hominis manibus coërcere conarentur; Timoleon oravit omnes, ne id facerent. Namque id ut Lamestio cæterisque liceret, se maximos labores summaque adiisse pericula. Hanc enim speciem libertatis esse, si omnibus, quod quisque vellet, legibus experiri liceret. Idem, quum quidam Lamestii similis, nomine Demænetus, in concione populi de rebus gestis ejus detrahere cœpisset, ac nonnulla inveheretur in Timoleonta, dixit, nunc demum se voti esse damnatum. Namque hæc a diis immortalibus semper precatum, ut talem libertatem restituerent Syracusanis, in quâ cuivis liceret, de quo vellet, impunè dicere. Hic quum diem supremum obiisset, publicè a Syracusanis in gymnasio, quod Timoleonteum appellatur, totâ celebrante Siciliâ sepultus est.

XXI. DE REGIBUS.

I. Hi ferè fuerunt Græciæ gentis duces, qui memoriâ digni videbantur, præter reges. Namque eos attingere noluimus, quòd omnium res gestæ seperatim sunt relatæ. Neque tamen hi admodum sunt multi. Lacedæmonius autem Agesilaüs nomine, non potestate, fuit rex; sicuti cæteri Spartani. Ex his verò, qui dominatum imperio tenuerunt, excellentissimi fuerunt (ut nos judicamus) Persarum Cyrus, et Darius Hystaspis filius; quorum uterque privatus virtute regnum est adeptus. Prior horum apud Massagetas in prœlio cecidit. Darius senectute diem obiit supremum. Tres sunt præterea ejusdem generis, Xerxes, et duo Artaxerxes, Macrochir et Mnemon. Xerxi maximè est illustre, quòd maximis post hominum memoriam exercitibus terrâ marique bellum intulit Græciæ. At Macrochir præcipuam habet laudem amplissimæ pulcherrimæque corporis formæ; quam incredibili ornavit virtute belli. Namque illo Perses nemo fuit manu fortior. Mnemon autem justitiæ famâ floruit. Nam quum matris suæ scelere amisisset

uxorem, tantùm indulsit dolori, ut eum pietas vinceret. Ex his duo eodem nomine morbo naturæ debitum reddiderunt: tertius ab Artabano, præfecto, ferro interemptus est.

II. Ex Macedonum autem genere duo multò cæteros antecesserunt rerum gestarum gloriâ: Philippus, Amyntæ filius, et Alexander Magnus. Horum alter Babylone morbo consumptus est. Philippus Ægis a Pausaniâ, quum spectatum ludos iret, juxta theatrum occisus est. Unus Epirotes, Pyrrhus, qui cum populo Romano bellavit. Is quum Argos oppidum oppugnaret in Peloponneso, lapide ictus interiit. Unus item Siculus, Dionysius prior. Nam et manu fortis, et belli peritus fuit, et id quod in tyranno non facilè reperitur, minimè libidinosus, non luxuriosus, non avarus, nullius rei denique cupidus, nisi singularis perpetuique imperii, ob eamque rem crudelis. Nam dum id studuit munire, nullius pepercit vitæ, quem ejus insidiatorem putaret. Hic quum virtute tyrannidem sibi peperisset, magnâ retinuit felicitate, majorque annos sexaginta natus, decessit florente regno. Neque in tam multis annis cujusquam ex suâ stirpe funus vidit, quum ex tribus uxoribus liberos procreâsset multique ei nati essent nepotes.

III. Fuerunt præterea multi reges ex amicis Alexandri Magni, qui post obitum ejus imperia ceperunt: in his Antigonus, et hujus filius Demetrius, Lysimachus, Seleucus, Ptolemæus. Ex his Antigonus, quum adversùs Seleucum Lysimachumque dimicaret, in prœlio occisus est. Pari leto affectus est Lysimachus a Seleuco. Nam societate dissolutâ, bellum inter se gesserunt. At Demetrius, quum filiam suam Seleuco in matrimonium dedisset, neque eò magis fida inter eos amicitia manere potuisset, captus bello, in custodiâ socer generi periit a morbo. Neque ita multò pòst Seleucus a Ptolemæo Cerauno dolo interfectus est; quem ille, a patre expulsum Alexandreâ, alienarum opum indigentem, receperat. Ipse autem Ptolemæus, quum vivus filio regnum tradidisset, ab

illo eodem vitâ privatus dicitur. De quibus quoniam satìs dictum putamus, non incommodum videtur non præterire Hamilcarem et Hannibalem, quos et animi magnitudine et calliditate omnes in Africâ natos præstitisse constat.

XXII. HAMILCAR.

I. *Hamilcar, Hannibalis filius, cognomine Barcas, Carthaginiensis*, primo Pœnico bello, sed temporibus extremis, admodum adolescentulus in Siciliâ præesse cœpit exercitui. Quum ante ejus adventum et mari et terrâ malè res gererentur Carthaginiensium, ipse, ubi adfuit, nunquam hosti cessit, neque locum nocendi dedit; sæpèque e contrario, occasione datâ, lacessivit, semperque superior discessit. Quo facto, quum pæne omnia in Siciliâ Pœni amisissent, ille Erycem sic defendit, ut bellum eo loco gestum non videretur. Interim Carthaginienses classe apud insulas Ægates a Caio Lutatio, consule Romanorum, superati, statuerunt belli finem facere, eamque rem arbitrio permiserunt Hamilcaris. Ille, etsi flagrabat bellandi cupiditate, tamen paci serviendum putavit, quòd patriam exhaustam sumptibus, diutius calamitatem belli ferre non posse intelligebat; sed ita, ut statim mente agitaret, si paulùm modò res essent refectæ, bellum renovare, Romanosque armis persequi, donicum aut certè vicissent, aut victi manus dedissent. Hoc consilio pacem conciliavit, in quâ tantâ fuit ferociâ, ut, quum Catulus negaret se bellum compositurum, nisi ille cum suis, qui Erycem tenuerunt, armis relictis, Siciliâ decederent, succumbente patriâ, ipse periturum se potiùs dixerit, quàm cum tanto flagitio domum rediret. Non enim suæ esse virtutis, arma a patriâ accepta adversùs hostes adversariis tradere. Hujus pertinaciæ cessit Catulus.

II. At ille, ut Carthaginem venit, multò aliter, ac sperabat, rempublicam se habentem cognovit. Namque diuturnitate externi mali tantùm exarsit intestinum

bellum, ut nunquam pari periculo fuerit Carthago, nisi quum deleta est. Primò mercenarii milites, qui adversùs Romanos fuerant, desciverunt: quorum numerus erat viginti millium. Hi totam abalienârunt Africam, ipsam Carthaginem oppugnârunt. Quibus malis adeò sunt Pœni perterriti, ut etiam auxilia a Romanis petiverint, eaque impetrârint. Sed extremò, quum prope jam ad desperationem pervenissent, Hamilcarem imperatorem fecerunt. Is non solùm hostes a muris Carthaginis removit, quum ampliùs centum millia facta essent armatorum; sed etiam eò compulit, ut, locorum angustiis clausi, plures fame, quàm ferro interirent. Omnia oppida abalienata, in his Uticam atque Hipponem, valentissima totius Africæ, restituit patriæ. Neque eo fuit contentus, sed etiam fines imperii propagavit, totâ Africâ tantum otium reddidit, ut nullum in eâ bellum videretur multis annis fuisse.

III. Rebus his ex sententiâ peractis, fidenti animo atque infesto Romanis, quò faciliùs causam bellandi reperiret, effecit, ut imperator cum exercitu in Hispaniam mitteretur, eòque secum duxit filium Hannibalem, annorum novem. Erat præterea cum eo adolescens illustris, formosus, Hasdrubal. Huic ille filiam suam in matrimonium dedit. De hoc ideo mentionem fecimus, quòd, Hamilcare occiso, ille exercitui præfuit, resque magnas gessit; et princeps largitione vetustos pervertit mores Carthaginiensium; ejusdemque post mortem Hannibal ab exercitu accepit imperium.

IV. At Hamilcar posteaquam mare transiit, in Hispaniamque venit, magnas res secundâ gessit fortunà; maximas bellicosissimasque gentes subegit, equis, armis, viris, pecuniâ, totam locupletavit Africam. Hic quum in Italiam bellum inferre meditaretur, nono anno pòst quàm in Hispaniam venerat, in prœlio pugnans adversùs Vettones occisus est. Hujus perpetuum odium erga Romanos maximè concitâsse videtur secundum bellum Pœnicum. Namque Hannibal, filius ejus, assiduis patris obtestationibus eò est perductus, ut interire, quàm Romanos non experiri, mallet.

XXIII. HANNIBAL.

I. *Hannibal, Hamilcaris filius, Carthaginiensis.* Si verum est, quod nemo dubitat, ut populus Romanus omnes gentes virtute superârit, non est inficiandum, Hannibalem tantò præstitisse cæteros imperatores prudentiâ, quantò populus Romanus antecedat fortitudine cunctas nationes. Nam quotiescumque cum eo congressus est in Italiâ, semper discessit superior. Quòd nisi domi civium suorum invidiâ debilitatus esset, Romanos videretur superare potuisse. Sed multorum obtrectatio devicit unius virtutem. Hic autem velut hereditate relictum odium paternum erga Romanos sic confirmavit, ut priùs animam, quàm id, deposuerit: qui quidem, quum patriâ pulsus esset, et alienarum opum indigeret, nunquam destiterit animo bellare cum Romanis.

II. Nam ut omittam Philippum, quem absens hostem reddidit Romanis; omnium his temporibus potentissimus rex Antiochus fuit. Hunc tantâ cupiditate incendit bellandi, ut usque a rubro mari arma conatus sit inferre Italiæ. Ad quem quum legati venissent Romani, qui de ejus voluntate explorarent, darentque operam consiliis clandestinis, ut Hannibalem in suspicionem regi adducerent, tanquam ab ipsis corruptum alia atque antea sentire; neque id frustrà fecissent, idque Hannibal comperisset, seque ab interioribus consiliis segregari vidisset: tempore dato adiit ad regem, eique quum multa de fide suâ, et odio in Romanos commemorâsset, hoc adjunxit: *Pater*, inquit, *meus Hamilcar, puerulo me, utpote non ampliùs novem annos nato, in Hispaniam imperator proficiscens Carthagine Jovi Optimo Maximo hostias immolavit. Quæ divina res dum conficiebatur, quæsivit a me, vellemne secum in castra proficisci. Id quum libenter accepissem, atque ab eo petere cœpissem, ne dubitaret ducere, tum ille, 'faciam,' inquit, 'si fidem mihi, quam postulo, dederis.' Simul me ad aram adduxit, apud quam sacrificare instituerat, eamque, cæteris remotis, tenen-*

tem jurare jussit, nunquam me in amicitiâ cum Romanis fore. Id ego jusjurandum, patri datum, usque ad hanc ætatem ita conservavi, ut nemini dubium esse debeat, quin reliquo tempore eâdem mente sim futurus. Quare si quid amicè de Romanis cogitabis, non imprudenter feceris, si me celaris. Quum quidem bellum parabis, te ipsum frustraberis, si non me in eo principem posueris.

III. Hâc igitur, quâ diximus, ætate, cum patre in Hispaniam profectus est: cujus post obitum, Hasdrubale imperatore suffecto, equitatui omni præfuit. Hoc quoque interfecto exercitus summam imperii ad eum detulit. Id Carthaginem delatum, publicè comprobatum est. Sic Hannibal minor quinque et viginti annis natis imperator factus, proximo triennio omnes gentes Hispaniæ bello subegit. Saguntum, fœderatam civitatem, vi expugnavit: tres exercitus maximos comparavit. Ex his unum in Africam misit, alterum cum Hasdrubale fratre in Hispaniâ reliquit, tertium in Italiam secum duxit. Saltum Pyrenæum transiit. Quàcunque iter fecit, cum omnibus incolis conflixit; neminem, nisi victum, dimisit. Ad Alpes posteaquam venit, quæ Italiam ab Galliâ sejungunt, quas nemo unquam cum exercitu ante eum, præter Herculem Graium, transierat (quo facto is hodie saltus Graius appellatur): Alpicos conantes prohibere transitu concidit, loca patefecit, itinera muniit, effecit [que], ut eà elephantus ornatus ire posset, quà antea unus homo inermis vix poterat repere. Hàc copias traduxit, in Italiamque pervenit.

IV. Conflixerat apud Rhodanum cum P. Cornelio Scipione, Consule, eumque pepulerat. Cum hoc eodem de Clastidio apud Padum decernit: saucium inde ac fugatum dimittit. Tertiò idem Scipio cum collegâ Tiberio Longo apud Trebiam adversùs eum venit. Cum his manum conseruit; utrosque profligavit. Inde per Ligures Apenninum transit, petens Etruriam. Hoc itinere adeò gravi morbo afficitur oculorum, ut postea nunquam dextero æquè bene usus sit. Quâ

valetudine quum etiamnunc premeretur, lecticâque ferretur; C. Flaminium Consulem apud Trasimenum cum exercitu insidiis circumventum occidit; neque multò pòst C. Centenium Prætorem, cum delectâ manu saltus occupantem. Hinc in Apuliam pervenit. Ibi obviàm ei venerunt duo Consules, C. Terentius et L. Paulus Æmilius. Utriusque exercitus uno prœlio fugavit; Paulum Consulem occidit, et aliquot præterea Consulares, in his Cn. Servilium Geminum, qui superiore anno fuerat Consul.

V. Hâc pugnâ pugnatâ Romam profectus est, nullo resistente. In propinquis urbis montibus moratus est. Quum aliquot ibi dies castra habuisset, et reverteretur Capuam; Q. Fabius Maximus, dictator Romanus, in agro Falerno se ei objecit. Hìc clausus locorum angustiis, noctu sine ullo detrimento exercitûs se expedivit; Fabio, callidissimo imperatori, verba dedit. Namque obductâ nocte sarmenta in cornibus juvencorum deligata incendit, ejusque generis multitudinem magnam dispalatam immisit. Quo repentino objectu viso tantum terrorem injecit exercitui Romanorum, ut egredi extra vallum nemo sit ausus. Hanc post rem gestam non ita multis diebus, M. Minucium Rufum, magistrum equitum, pari ac dictatorem imperio, dolo productum in prœlium, fugavit. Ti. Sempronium Gracchum, iterum Consulem, in Lucanis absens, in insidias inductum sustulit. M. Claudium Marcellum, quinquies Consulem, apud Venusiam pari modo interfecit. Longum est enumerare prœlia. Quare hoc unum satis erit dictum, ex quo intelligi possit, quantus ille fuerit. Quamdiu in Italiâ fuit, nemo ei in acie restitit, nemo adversùs eum post Cannensem pugnam in campo castra posuit.

VI. Hic invictus patriam defensum revocatus bellum gessit adversùs P. Scipionem, filium ejus, quem ipse primùm apud Rhodanum, iterum apud Padum, tertiò apud Trebiam fugaverat. Cum hoc, exhaustis jam patriæ facultatibus, cupivit impræsentiarum bellum componere, quò valentior postea congrederetur

In colloquium convenit, conditiones non convenerunt. Post id factum paucis diebus apud Zamam cum eodem conflixit. Pulsus, incredibile dictu, biduo et duabus noctibus Hadrumetum pervenit, quod abest a Zamâ circiter millia pasuum trecenta. In hâc fugâ Numidæ, qui simul cum eo ex acie excesserant, insidiati sunt ei; quos non solùm effugit, sed etiam ipsos oppressit. Hadrumeti reliquos ex fugâ collegit. Novis delectibus paucis diebus multos contraxit.

VII. Quum in apparando acerrimè esset occupatus, Carthaginienses bellum cum Romanis composuerunt. Ille nihilo seciùs exercitui postea præfuit, resque in Africâ gessit, itemque Mago frater ejus, usque ad Publium Sulpicium et Caium Aurelium Consules. His enim magistratibus legati Carthaginienses Romam venerunt, qui senatui populoque Romano gratias agerent, quòd cum his pacem fecissent, ob eamque rem coronâ aureâ eos donarent, simulque peterent, ut obsides eorum Fregellis essent, captivique redderentur. His ex Senatûs consulto responsum est: 'Munus eorum gratum acceptumque esse; obsides, quo loco rogarent, futuros; captivos non remissuros, quòd Hannibalem, cujus operâ susceptum bellum foret, inimicissimum nomini Romano, etiamnunc cum imperio apud exercitum haberent, itemque fratrem ejus Magonem.' Hoc responso Carthaginienses cognito Hannibalem domum Magonemque revocârunt. Huc ut rediit, prætor factus est, postquam rex fuerat anno secundo et vicesimo. Ut enim Romæ Consules, sic Carthagine quotannis annui bini reges creabantur. In eo magistratu pari diligentiâ se Hannibal præbuit, ac fuerat in bello. Namque effecit, ex novis vectigalibus non solùm ut esset pecunia, quæ Romanis ex fœdere penderetur, sed etiam superesset, quæ in ærario reponeretur. Deinde, anno post præturam, Marco Claudio, Lucio Furio Consulibus, Romani legati Carthaginem venerunt. Hos Hannibal sui exposcendi gratiâ missos ratus, priusquam his senatus daretur, navem conscendit clam, atque in Syriam ad Antiochum pro-

fugit. Hâc re palàm factâ, Pœni naves duas, quæ eum comprehenderent si possent consequi, miserunt; bona ejus publicârunt; domum a fundamentis disjecerunt; ipsum exulem judicârunt.

VIII. At Hannibal anno tertio, postquam domo profugerat, Lucio Cornelio, Quinto Minucio Consulibus, cum quinque navibus Africam accessit in finibus Cyrenæorum, si fortè Carthaginienses ad bellum, Antiochi spe fiduciâque, inducere posset: cui jam persuaserat, ut cum exercitibus in Italiam proficisceretur. Huc Magonem fratrem excivit. Id ubi Pœni resciverunt, Magonem eâdem, quâ fratrem, absentem pœnâ affecerunt. Illi desperatis rebus quum solvissent naves, ac vela ventis dedissent, Hannibal ad Antiochum pervenit. De Magonis interitu duplex memoria prodita est. Namque alii naufragio, alii a servis ipsius interfectum eum, scriptum reliquerunt. Antiochus autem si tam in agendo bello parere voluisset consiliis ejus, quàm in suscipiendo instituerat, propiùs Tiberi, quàm Thermopylis, de summâ imperii dimicâsset. Quem etsi multa stultè conari videbat tamen nullâ deseruit in re. Præfuit paucis navibus, quas ex Syriâ jussus erat in Asiam ducere, hisque adversùs Rhodiorum classem in Pamphylio mari conflixit. Quo quum multitudine adversariorum sui superarentur, ipse, quo cornu rem gessit, fuit superior.

IX. Antiocho fugato, verens ne dederetur, quod sine dubio accidisset, si sui fecisset potestatem, Cretam ad Gortynios venit, ut ibi, quò se conferret, consideraret. Vidit autem vir omnium callidissimus, magno se fore periculo, nisi quid providisset, propter avaritiam Cretensium. Magnam enim secum pecuniam portabat, de quâ sciebat exîsse famam. Itaque capit tale consilium. Amphoras complures complet plumbo; summas operit auro et argento. Has, præsentibus principibus, deponit in templo Dianæ, simulans, se suas fortunas illorum fidei credere. His in errorem inductis, statuas æneas, quas secum portabat

omnes suâ pecuniâ complet, easque in propatulo domi abjicit. Gortynii templum magnâ curâ custodiunt, non tam a cæteris, quàm ab Hannibale, ne quid ille, inscientibus his, tolleret, secumque duceret.

X. Sic conservatis suis rebus, Pœnus, illusis Cretensibus omnibus, ad Prusiam in Pontum pervenit. Apud quem eodem animo fuit erga Italiam, neque aliud quidquam egit, quàm regem armavit et exercuit adversùs Romanos. Quem quum videret domesticis rebus minùs esse robustum, conciliabat cæteros reges, adjungebat bellicosas nationes. Dissidebat ab eo Pergamenus rex, Eumenes, Romanis amicissimus, bellumque inter eos gerebatur et mari et terrâ: quò magis cupiebat eum Hannibal opprimi. Sed utrobique Eumenes plùs valebat propter Romanorum societatem: quem si removisset, faciliora sibi cætera fore, arbitrabatur. Ad hunc interficiendum talem iniit rationem. Classe paucis diebus erant decreturi. Superabatur navium multitudine. Dolo erat pugnandum, quum par non esset armis. Imperavit quàm plurimas venenatas serpentes vivas colligi, easque in vasa fictilia conjici. Harum quum confecisset magnam multitudinem, die ipso, quo facturus erat navale prœlium, classiarios convocat, hisque præcipit omnes ut in unam Eumenis regis concurrant navem, a cæteris tantùm satis habeant se defendere. Id facilè illos serpentium multitudine consecuturos. Rex autem in quâ nave veheretur, ut scirent, se facturum; quem si aut cepissent, aut interfecissent, magno his pollicetur id præmio fore.

XI. Tali cohortatione militum factâ, classis ab utrisque in prœlium deducitur. Quarum acie constitutâ, priusquam signum pugnæ daretur, Hannibal, ut palàm faceret suis, quo loco Eumenes esset, tabellarium in scaphâ cum caduceo mittit; qui ubi ad naves adversariorum pervenit, epistolam ostendens, se regem professus est quærere. Statim ad Eumenem deductus est, quòd nemo dubitabat, aliquid de pace esse scriptum. Tabellarius, ducis nave declaratâ suis,

eòdem, unde ierat, se recepit. At Eumenes, solutâ epistolâ, nihil in eâ reperit, nisi quod ad irridendum eum pertineret: cujus etsi causam mirabatur, neque reperiebatur, tamen prœlium statim committere non dubitavit. Horum in concursu Bithyni, Hannibalis præcepto, universi navem Eumenis adoriuntur: quorum vim quum rex sustinere non posset, fugâ salutem petiit; quam consecutus non esset, nisi intra sua præsidia se recepisset, quæ in proximo littore erant collocata. Reliquæ Pergamenæ naves quum adversarios premerent acriùs, repentè in eas vasa fictilia, de quibus suprà mentionem fecimus, conjici cœpta sunt. Quæ jacta initio risum pugnantibus excitârunt, nec, quare id fieret, poterat intelligi. Postquam autem naves completas conspexerunt serpentibus, novâ re perterriti, quum, quid potissimùm vitarent, non viderent, puppes averterunt, seque ad sua castra nautica retulerunt. Sic Hannibal consilio arma Pergamenorum superavit: neque tum solùm, sed sæpè aliàs pedestribus copiis pari prudentiâ pepulit adversarios.

XII. Quæ dum in Asiâ geruntur, accidit casu, ut legati Prusiæ Romæ apud L. Quintium Flamininum, Consularem, cœnarent, atque ibi, de Hannibale mentione factâ, ex his unus diceret, eum in Prusiæ regno esse. Id postero die Flamininus senatui detulit. Patres conscripti, qui, Hannibale vivo, nunquam se sine insidiis futuros existimabant, legatos in Bithyniam miserunt, in his Flamininum, qui a rege peterent, ne inimicissimum suum secum haberet, sibique dederet. His Prusias negare ausus non est; illud recusavit, ne id a se fieri postularent, quod adversùs jus hospitii esset; ipsi, si possent, comprehenderent; locum, ubi esset, facilè inventuros. Hannibal enim uno loco se tenebat in castello, quod ei ab rege datum erat muneri: idque sic ædificârat, ut in omnibus partibus ædificii exitum sibi haberet, semper verens, ne usu veniret, quod accidit. Huc quum legati Romanorum venissent, ac multitudine domum ejus circumdedissent, puer ab januâ prospiciens. Hannibali dixit,

plures præter consuetudinem armatos apparere. Qui imperavit ei, ut omnes fores ædificii circumiret, ac properè sibi renuntiaret, num eodem modo undique obsideretur. · Puer quum celeriter, quid esset, renuntiâsset, omnesque exitus occupatos ostendisset; sensit id non fortuitò factum, sed se peti, neque sibi diutiùs vitam esse retinendam. Quam ne alieno arbitrio dimitteret, memor pristinarum virtutum, venenum, quod semper secum habere consueverat. sumpsit.

XIII. Sic vir fortissimus multis variisque perfunctus laboribus anno acquievit septuagesimo. Quibus Consulibus interierit, non convenit. Nam Atticus, Marco Claudio Marcello, Q. Fabio Labeone Coss. mortuum in annali suo scriptum reliquit. At Polybius, L. Æmilio Paulo, et Cn. Bæbio Tamphilo: Sulpicius autem, P. Cornelio Cethego, M. Bæbio Tamphilo. Atque hic tantus vir tantisque bellis districtus nonnihil temporis tribuit litteris. Namque aliquot ejus libri sunt Græco sermone confecti. In his ad Rhodios de Cn. Manlii Vulsonis in Asiâ rebus gestis. Hujus bella gesta multi memoriæ prodiderunt: sed ex his duo, qui cum eo in castris fuerunt, simulque vixerunt, quamdiu fortuna passa est, Silenus, et Sosilus Lacedæmonius. Atque hoc Sosilo Hannibal litterarum Græcarum usus est doctore. Sed nunc tempus est hujus libri facere finem, et Romanorum explicare imperatores, quò faciliùs collatis utrorumque factis, qui viri præferendi sint, possit judicari.

XXIV. CATO.

I. Cato, ortus municipio Tusculo, adolescentulus, priusquam honoribus operam daret, versatus est in Sabinis, quòd ibi heredium a patre relictum habebat. Hortatu L. Valerii Flacci, quem in consulatu censurâque habuit collegam, ut M. Perperna Censorius narrare solitus est, Romam demigravit, in foroque esse cœpit. Primum stipendium meruit annorum decem septemque, Q. Fabio Maximo, M. Claudio Marcello Coss. Tribu-

nus militum in Siciliâ fuit. Inde ut rediit, castra secutus est C. Claudii Neronis; magnique ejus opera existimata est in prœlio apud Senam, quo cecidit Hasdrubal, frater Hannibalis. Quæstor obtigit P. Cornelio Scipioni Africano, consuli; cum quo non pro sortis necessitudine vixit. Namque ab eo perpetuâ dissensit vitâ. Ædilis plebis factus est cum C. Helvio. Prætor provinciam obtinuit Sardiniam, ex quâ Quæstor superiore tempore ex Africâ decedens Q. Ennium poëtam deduxerat: quod non minoris æstimamus, quàm quemlibet amplissimum Sardiniensem triumphum.

II. Consulatum gessit cum L. Valerio Flacco; sorte provinciam nactus Hispaniam citeriorem, exque eâ triumphum deportavit. Ibi quum diutius moraretur, P. Scipio Africanus Consul iterum, cujus in priore consulatu quæstor fuerat, voluit eum de provinciâ depellere, et ipse ei succedere. Neque hoc per senatum efficere potuit, quum quidem Scipio in civitate principatum obtineret; quòd tum non potentiâ, sed jure, respublica administrabatur. Quâ ex re iratus, consulatu peracto, privatus in urbe mansit. At Cato, censor cum eodem Flacco factus, severè præfuit ei potestati. Nam et in complures nobiles animadvertit, et multas res novas in edictum addidit, quare luxuria reprimeretur, quæ jam tum incipiebat pullulare. Circiter annos octoginta, usque ad extremam ætatem ab adolescentiâ, reipublicæ causâ suscipere inimicitias non destitit. A multis tentatus, non modò nullum detrimentum existimationis fecit, sed, quoad vixit, virtutum laude crevit.

III. In omnibus rebus singulari fuit prudentiâ et industriâ. Nam et agricola solers, et reipublicæ peritus, et juris consultus, et magnus imperator, et probabilis orator, et cupidissimus litterarum fuit. Quarum studium etsi senior arripuerat, tamen tantum in eis progressum fecit, ut non facilè reperire possis, neque de Græcis, neque de Italicis rebus, quod ei fuerit incognitum. Ab adolescentiâ confecit orationes. Senex

historias scribere instituit, quarum sunt libri septem. Primus continet res gestas regum populi Romani; secundus et tertius, unde quæque civitas orta sit Italica; ob quam rem omnes Origines videtur appellâsse. In quarto autem bellum Pœnicum primum; in quinto secundum. Atque hæc omnia capitulatim sunt dicta. Reliquaque bella pari modo persecutus est usque ad præturam Ser. Galbæ, qui diripuit Lusitanos. Atque horum bellorum duces non nominavit, sed sine nominibus res notavit. In iisdem exposuit, quæ in Italiâ Hispaniisque viderentur admiranda: in quibus multa industria et diligentia comparet, multa doctrina. Hujus de vitâ et moribus plura in eo libro persecuti sumus, quem separatim de eo fecimus rogatu Titi Pomponii Attici. Quare studiosos Catonis ad illud volumen delegamus.

XXV. T. POMPONIUS ATTICUS.

I. Titus Pomponius Atticus, ab origine ultimâ stirpis Romanæ generatus, perpetuò a majoribus acceptam equestrem obtinuit dignitatem. Patre usus est diligente, indulgente, et, ut tum erant tempora, diti, imprimisque studioso litterarum. Hic, proüt ipse amabat litteras, omnibus doctrinis, quibus puerilis ætas impertiri debet, filium erudivit. Erat autem in puero, præter docilitatem ingenii, summa suavitas oris ac vocis, ut non solùm celeriter acciperet, quæ tradebantur, sed etiam excellenter pronuntiaret. Quâ ex re in pueritiâ nobilis inter æquales ferebatur, clariùsque exsplendescebat, quàm generosi condiscipuli animo æquo ferre possent. Itaque incitabat omnes studio suo: quo in numero fuerunt L. Torquatus, C. Marius filius, M. Cicero: quos consuetudine suâ sic sibi devinxit, ut nemo iis perpetuò fuerit carior.

II. Pater maturè decessit. Ipse adolescentulus, propter affinitatem P. Sulpicii, qui Tribunus plebis interfectus est, non expers fuit illius periculi. Namque Anicia, Pomponii consobrina, nupserat M. Servio,

fratri P. Sulpicii. Itaque interfecto Sulpicio, posteaquam vidit Cinnano tumultu civitatem esse perturbatam, neque sibi dari facultatem pro dignitate vivendi, quin alterutram partem offenderet, dissociatis animis civium, quum alii Sullanis, alii Cinnanis faverent partibus; idoneum tempus ratus, studiis obsequendi suis, Athenas se contulit. Neque eò seciùs adolescentem Marium, hostem judicatum, juvit opibus suis; cujus fugam pecuniâ sublevavit. Ac, ne illa peregrinatio detrimentum aliquod afferret rei familiari, eòdem magnam partem fortunarum trajecit suarum. Hìc ita vixit, ut universis Atheniensibus meritò esset carissimus. Nam præter gratiam, quæ jam in adolescentulo magna erat, sæpè suis opibus inopiam eorum publicam levavit. Quum enim versuram facere publicè necesse esset, neque ejus conditionem æquam haberent; semper se interposuit, atque ita, ut neque usuram unquam ab iis acceperit, neque longiùs, quàm dictum esset, eos debere passus sit. Quod utrumque erat iis salutare. Nam neque indulgendo inveterascere eorum æs alienum patiebatur, neque multiplicandis usuris crescere. Auxit hoc officium aliâ quoque liberalitate. Nam universos frumento donavit, ita ut singulis septem modii tritici darentur; qui modus mensuræ medimnus Athenis appellatur.

III. Hic autem sic se gerebat, ut, communis infimis, par principibus, videretur. Quo factum est, ut huic omnes honores, quos possent, publicè haberent, civemque facere studerent: quo beneficio ille uti noluit. [Quòd nonnulli ita interpretantur, *amitti civitatem Romanam aliâ adscitâ.*] Quamdiu adfuit, ne qua sibi statua poneretur, restitit: absens prohibere non potuit. Itaque aliquot ipsi, et Phidiæ, locis sanctissimis posuerunt. Hunc enim in omni procuratione reipublicæ actorem auctoremque habebant. Igitur primum illud munus fortunæ, quòd in eâ potissimùm urbe natus est, in quâ domicilium orbis terrarum esset imperii, ut eandem et patriam haberet et dominam; hoc specimen prudentiæ, quòd quum in eam civitatem

se contulisset, quæ antiquitate, humanitate, doctrinâ præstaret omnes, unus ei ante alios fuerit carissimus.

IV. Huc ex Asiâ Sulla decedens quum venisset, quamdiu ibi fuit, secum habuit Pomponium, captus adolescentis et humanitate et doctrinâ. Sic enim Græcè loquebatur, ut Athenis natus videretur. Tanta autem suavitas erat sermonis Latini, ut appareret, in eo nativum quendam leporem esse, non adscitum. Idem poëmata pronuntiabat et græcè et latinè, sic ut suprà nihil posset addi. Quibus rebus factum est, ut Sulla nusquam eum ab se dimitteret, cuperetque secum deducere. Cui quum persuadere tentaret, *Noli, oro te*, inquit Pomponius, *adversùm eos me velle ducere, cum quibus ne contra te arma ferrem, Italiam reliqui.* At Sulla, adolescentis officio collaudato, omnia munera ei, quæ Athenis acceperat, proficiscens jussit deferri. Hìc complures annos moratus, quum et rei familiari tantum operæ daret, quantum non indiligens deberet paterfamilias, et omnia reliqua tempora aut litteris aut Atheniensium reipublicæ tribueret, nihilominus amicis urbana officia præstitit. Nam et ad comitia eorum ventitavit, et si qua res major acta est, non defuit: sicut Ciceroni in omnibus [ejus] periculis singularem fidem præbuit; cui ex patriâ fugienti sestertiorum ducenta et quinquaginta millia donavit. Tranquillatis autem rebus remigravit Romam, ut opinor, L. Cottâ et L. Torquato Consulibus: quem diem sic universa civitas Atheniensium prosecuta est, ut lacrimis desiderii futuri dolorem indicaret.

V. Habebat avunculum L. Cæcilium, equitem Romanum, familiarem L. Luculli, divitem, difficillimâ naturâ: cujus sic asperitatem veritus est, ut, quem nemo ferre posset, hujus sine offensione ad summam senectutem retinuerit benevolentiam. Quo facto tulit pietatis fructum. Cæcilius enim moriens testamento adoptavit eum, heredemque fecit ex dodrante: ex quâ hereditate accepit circiter centies sestertium. Erat nupta soror Attici Q. Tullio Ciceroni: easque nuptias M. Cicero conciliârat, cum quo a condiscipulatu vive-

bat conjunctissimè, multò etiam familiariùs, quàm cum Quinto: ut judicari possit, plùs in amicitiâ valere similitudinem morum, quàm affinitatem. Utebatur autem intimè Q. Hortensio, qui iis temporibus principatum eloquentiæ tenebat: ut intelligi non posset, uter eum plùs diligeret, Cicero an Hortensius: et id, quod erat difficillimum, efficiebat, ut, inter quos tantæ laudis esset æmulatio, nulla intercederet obtrectatio essetque talium virorum copula.

VI. In republicâ ita versatus est, ut semper optimarum partium et esset et existimaretur, neque tamen se civilibus fluctibus committeret, quòd non magis eos in suâ potestate existimabat esse, qui se his dedissent, quàm qui maritimis jactarentur. Honores non petiit, quum ei paterent, propter vel gratiam vel dignitatem: quòd neque peti more majorum, neque capi possent conservatis legibus, in tam effusis ambitûs largitionibus, neque geri e republicâ sine periculo, corruptis civitatis moribus. Ad hastam publicam nunquam accessit. Nullius rei neque præs, neque manceps factus est. Neminem neque suo nomine, neque subscribens, accusavit. In jus de suâ re nunquam iit: judicium nullum habuit. Multorum consulum prætorumque præfecturas delatas sic accepit, ut neminem in provinciam sit secutus, honore fuerit contentus, rei familiaris despexerit fructum: qui ne cum Q. quidem Cicerone voluerit ire in Asiam, quum apud eum legati locum obtinere posset. Non enim decere se arbitrabatur, quum præturam gerere noluisset, asseclam esse prætoris. Quâ in re non solùm dignitati serviebat, sed etiam tranquillitati, quum suspiciones quoque vitaret criminum. Quo fiebat, ut ejus observantia omnibus esset carior, quum eam officio, non timori neque spei, tribui viderent.

VII. Incidit Cæsarianum civile bellum, quum haberet annos circiter sexaginta. Usus est ætatis vacatione, neque [se] quòquam movit ex urbe. Quæ amicis suis opus fuerant ad Pompeium proficiscentibus, omnia ex suâ re familiari dedit. Ipsum Pompeium

conjunctum non offendit; nullum enim ab eo habebat ornamentum ut cæteri, qui per eum aut honores, aut divitias ceperant: quorum partim invitissimi castra sunt secuti, partim summâ cum ejus offensione domi remanserunt. Attici autem quies tantopere Cæsàri fuit grata, ut victor quum privatis pecunias per epistolas imperaret, huic non solùm molestus non fuerit, sed etiam sororis filium et Q. Ciceronem ex Pompeii castris concesserit. Sic vetere instituto vitæ, effugit nova pericula.

VIII. Secutum est illud, occiso Cæsare, quum respublica penes Brutos videretur esse et Cassium, ac tota civitas se ad eos convertisset. Sic M. Bruto usus est, ut nullo ille adolescens æquali familiariùs, quàm hoc sene, neque solùm eum principem consilii haberet, sed etiam in convictu. Excogitatum est a quibusdam, ut privatum ærarium Cæsaris interfectoribus ab equitibus Romanis constitueretur. Id facilè effici posse arbitrati sunt, si et principes illius ordinis pecunias contulissent. Itaque appellatus est a C. Flavio, Bruti familiari, Atticus, ut ejus rei princeps esse vellet. At ille, qui officia amicis præstanda sine factione existimaret, semperque a talibus se consiliis removisset, respondit: *si quid Brutus de suis facultatibus uti voluisset, usurum, quantùm eæ paterentur: se neque cum quoquam de eâ re collocuturum, neque coiturum.* Sic ille consensionis globus hujus unius dissensione disjectus est. Neque multò pòst superior esse cœpit Antonius: ita ut Brutus et Cassius, provinciarum, quæ iis necis causâ datæ erant a consulibus, desperatis rebus, in exilium proficiscerentur. Atticus, qui pecuniam simul cum cæteris conferre noluerat florenti illi parti, abjecto Bruto Italiâque cedenti sestertiorum centum millia muneri misit. Eidem in Epiro absens trecenta jussit dari: neque eò magis potenti adulatus est Antonio, neque desperatos reliquit.

IX. Secutum est bellum gestum apud Mutinam. In quo si tantùm eum prudentem dicam, minùs quàm debeam, prædicem, quum ille potiùs divinus fuerit;

si divinatio appellanda est perpeptua naturalis bonitas, quæ nullis casibus neque agitur, neque minuitur. Hostis Antonius judicatus Italiâ cesserat; spes restituendi nulla erat. Non solùm ejus inimici, qui tum erant potentissimi et plurimi, sed etiam qui adversariis ejus se dabant, et in eo lædendo se aliquam consecuturos sperabant commendationem, Antonii familiares insequebantur, uxorem Fulviam omnibus rebus spoliare cupiebant; liberos etiam extinguere parabant. Atticus quum Ciceronis intimâ familiaritate uteretur, amicissimus esset Bruto; non modò nihil iis indulsit ad Antonium violandum, sed e contrario familiares ejus ex urbe profugientes, quantùm potuit, texit: quibus rebus indiguerunt, juvit. P. verò Volumnio ea tribuit, ut plura a parente proficisci non potuerint. Ipsi autem Fulviæ, quum litibus distineretur, magnisque terroribus vexaretur, tantâ diligentiâ officium suum præstitit, ut nullum illa stiterit vadimonium sine Attico, hic sponsor omnium rerum fuerit. Quin etiam, quum illa fundum secundâ fortunâ emisset in diem, neque post calamitatem versuram facere potuisset, ille se interposuit, pecuniamque sine fœnore, sineque ullâ stipulatione ei credidit: maximum existimans quæstum, memorem gratumque cognosci, simulque aperire, se non fortunæ, sed hominibus, solere esse amicum. Quæ quum faciebat, nemo, eum temporis causâ facere, poterat existimare. Nemini enim in opinionem veniebat, Antonium rerum potiturum. Sed sensim is a nonnullis optimatibus reprehendebatur, quòd parùm odisse malos cives videretur. Ille autem sui judicii potiùs, quid se facere par esset, intuebatur, quàm quid alii laudaturi forent.

X. Conversa subitò fortuna est. Ut Antonius rediit in Italiam, nemo non magno [in] periculo Atticum futurum putârat, propter intimam familiaritatem Ciceronis et Bruti. Itaque ad adventum imperatorum de foro decesserat, timens proscriptionem, latebatque apud P. Volumnium, cui, ut ostendimus, paulò antè opem tulerat: (tanta varietas iis temporibus fuit for-

tunæ, ut modò hi, modò illi, in summo essent aut fastigio aut periculo) habebatque secum Q. Gellium Canum, æqualem simillimumque sui. Hoc quoque sit Attici bonitatis exemplum, quòd cum eo, quem puerum in ludo cognoverat, adeò conjunctè vixit, ut ad extremam ætatem amicitia eorum creverit. Antonius autem etsi tanto odio ferebatur in Ciceronem, ut non solùm ei, sed omnibus etiam ejus amicis esset inimicus, eosque vellet proscribere; multis hortantibus tamen Attici memor fuit officii, et ei, quum requisisset ubinam esset, suâ manu scripsit, *ne timeret, statimque ad se veniret: se eum, et illius causâ Gellium Canum, de proscriptorum numero exemisse.* Ac, ne quod in periculum incideret, quòd noctu fiebat, præsidium ei misit. Sic Atticus in summo timore non solùm sibi, sed etiam ei, quem carissimum habebat, præsidio fuit. Neque enim suæ solùm a quoquam auxilium petiit salutis, sed conjunctim; ut appareret, nullam sejunctam sibi ab eo velle fortunam. Quòd si gubernator præcipuâ laude fertur, qui navem ex hieme marique scopuloso servat; cur non singularis ejus existimetur prudentia, qui ex tot tamque gravibus procellis civilibus ad incolumitatem pervenit?

XI. Quibus ex malis ut se emerserat, nihil aliud egit, quàm ut plurimis, quibus rebus posset, esset auxilio. Quum proscriptos præmiis imperatorum vulgus conquireret, nemo in Epirum venit, cui res ulla defuerit: nemini non ibi perpetuò manendi potestas facta est. Qui etiam, post prœlium Philippense, interitumque C. Cassii et M. Bruti, L. Julium Mocillam prætorium, et ejus filium, Aulumque Torquatum, cæterosque pari fortunâ perculsos, instituerit tueri, atque ex Epiro his omnia Samothraciam supportari jusserit. Difficile est omnia persequi, et non necessarium. Illud unum intelligi volumus, illius liberalitatem neque temporariam, neque callidam fuisse. Id ex ipsis rebus ac temporibus judicari potest, quòd non florentibus se venditavit, sed afflictis semper succurrit: qui quidem Serviliam, Bruti matrem, non minùs

post mortem ejus, quàm florente, coluerit. Sic liberalitate utens, nullas inimicitias gessit; quòd neque lædebat quenquam, neque, si quam injuriam acceperat, [non] malebat ulcisci, quàm oblivisci. Idem immortali memoriâ percepta retinebat beneficia: quæ autem ipse tribuerat, tamdiu meminerat, quoad ille gratus erat, qui acceperat. Itaque hic fecit, ut verè dictum videatur: *Sui cuique mores fingunt fortunam.* Neque tamen priùs ille fortunam, quàm se ipse, finxit: qui cavit, ne quâ in re jure plecteretur.

XII. His igitur rebus effecit, ut M. Vipsanius Agrippa, intimâ familiaritate conjunctus adolescenti Cæsari, quum propter suam gratiam, et Cæsaris potentiam, nullius conditionis non haberet potestatem, potissimùm ejus deligeret affinitatem, præoptaretque equitis Romani filiam generosarum nuptiis. Atque harum nuptiarum conciliator fuit (non est enim celandum) M. Antonius, triumvir reipublicæ constituendæ: cujus gratiâ quum augere possessiones posset suas, tantùm abfuit a cupiditate pecuniæ, ut nullâ in re usus sit eâ, nisi in deprecandis amicorum aut periculis, aut incommodis. Quod quidem sub ipsâ proscriptione perillustre fuit. Nam quum L. Saufeii equitis Romani, æqualis sui, qui cum eo complures annos, studio ductus philosophiæ, habitabat, habebatque in Italiâ pretiosas possessiones, triumviri bona vendidissent, consuetudine eâ, quâ tum res gerebantur; Attici labore atque industriâ factum, ut eodem nuntio Saufeius fieret certior, se patrimonium amisisse et recuperâsse. Idem L. Julium Calidum, quem post Lucretii Catullique mortem multò elegantissimum poëtam nostram tulisse ætatem verè videor posse contendere, neque minùs virum bonum, optimisque artibus eruditum, post proscriptionem equitum, propter magnas ejus Africanas possessiones in proscriptorum numerum a P. Volumnio, præfecto fabrûm Antonii, absentem relatum, expedivit. Quod in præsenti utrùm ei laboriosius, an gloriosius fuerit, difficile fuit judicare; quòd in eorum periculis, non secus absentes,

quàm præsentes amicos Attico esse curæ cognitum est.

XIII. Neque verò minùs ille vir, bonus paterfamilias habitus est quàm civis. Nam quum esset pecuniosus, nemo illo minùs fuit emax, minùs ædificator. Neque tamen non imprimis bene habitavit, omnibusque optimis rebus usus est. Nam domum habuit in colle Quirinali Tamphilanam, ab avunculo hæreditate relictam; cujus amœnitas non ædificio, sed silvâ, constabat. Ipsum enim tectum antiquitùs constitutum, plus salis, quàm sumptûs habebat: in quo nihil commutavit, nisi si quid vetustate coactus est. Usus est familiâ, si utilitate judicandum est, optimâ; si formâ, vix mediocri. Namque in eâ erant pueri literatissimi, anagnostæ optimi, et plurimi librarii, ut ne pedisequus quidem quisquam esset, qui non utrumque horum pulchrè facere posset. Pari modo artifices cæteri, quos cultus domesticus desiderat, apprimè boni. Neque tamen horum quenquam, nisi domi natum domique factum, habuit: quod est signum non solùm continentiæ, sed etiam diligentiæ. Nam et non intemperanter concupiscere, quod a plurimis videas, continentis debet duci: et potiùs diligentiâ quàm pretio, parare, non mediocris est industriæ. Elegans, non magnificus; splendidus, non sumptuosus; omni diligentiâ munditiem, non affluentiam, affectabat: supellex modica, non multa, ut in neutram partem conspici posset. Nec hoc præteribo, quanquam nonnullis leve visum iri putem. Quum imprimis lautus esset eques Romanus, et non parùm liberaliter domum suam omnium ordinum homines invitaret, scimus, non ampliùs quàm terna millia æris, peræquè in singulos menses, ex ephemeride, eum expensum sumptui ferre solitum. Atque hoc non auditum, sed cognitum prædicamus. Sæpè enim propter familiaritatem domesticis rebus interfuimus.

XIV. Nemo in convivio ejus aliud acroama audivit, quàm anagnosten: quod nos quidem jucundissimum arbitramur. Neque unquam sine aliquâ lec-

tione apud eum cœnatum est; ut non minùs animo, quàm ventre, convivæ delectarentur. Namque eos vocabat, quorum mores a suis non abhorrerent. Quum tanta pecuniæ facta esset accessio, nihil de quotidiano cultu mutavit, nihil de vitæ consuetudine: tantâque usus est moderatione, ut neque in sestertio vicies, quod a patre acceperat, parùm se splendidè gesserit, neque in sestertio centies affluentiùs vixerit, quàm instituerat, parique fastigio steterit in utrâque fortunâ. Nullos habuit hortos, nullam suburbanam aut maritimam sumptuosam villam, neque in Italiâ, præter Ardeatinum et Nomentanum, rusticum prædium: omnisque ejus pecuniæ reditus constabat in Epiroticis et urbanis possessionibus. Ex quo cognosci potest, eum usum pecuniæ, non magnitudine, sed ratione, metiri solitum.

XV Mendacium neque dicebat, neque pati poterat. Itaque ejus comitas non sine severitate erat. neque gravitas sine facilitate, ut difficile esset intellectu, ùtrùm eum amici magis vererentur, an amarent. Quidquid rogabatur, religiosè promittebat; quòd non liberalis, sed levis, arbitrabatur, polliceri quod præstare non posset. Idem in nitendo quod semel annuisset, tantâ erat curâ, ut non mandatam sed suam rem videretur agere. Nunquam suscepti negotii eum pertæsum est. Suam enim existimationem in eâ re agi putabat; quâ nihil habebat carius. Quo fiebat, ut omnia Ciceronum, Catonis, Marii, Hortensii, Auli Torquati, multorum præterea equitum Romanorum negotia procuraret. Ex quo judicari poterat, non inertiâ sed judicio fugisse reipublicæ procurationem.

XVI. Humanitatis verò nullum afferre majus testimonium possum, quàm quòd adolescens idem seni Sullæ fuerit jucundissimus, senex adolescenti M. Bruto; cum æqualibus autem suis, Q. Hortensio et M. Cicerone, sic vixerit, ut judicare difficile sit, cui ætati fuerit aptissimus. Quanquam eum præcipuè dilexit Cicero, ut ne frater quidem ei Quintus carior fuerit aut familiarior. Ei rei sunt indicio, præter eos

libros in quibus de eo facit mentionem, qui in vulgus sunt editi. sexdecim volumina epistolarum, ab consulatu ejus usque ad extremum tempus ad Atticum missarum: quæ qui legat, non multùm desideret historiam contextam illorum temporum. Sic enim omnia de studiis principum, vitiis ducum, mutationibus reipublicæ perscripta sunt, ut nihil in iis non appareat, et facilè existimari possit, prudentiam quodammodo esse divinationem. Non enim Cicero ea solùm, quæ vivo se acciderunt, futura prædixit: sed etiam, quæ nunc usu veniunt, cecinit ut vates.

XVII. De pietate autem Attici quid plura commemorem? quum hoc ipsum verè gloriantem audierim in funere matris suæ, quam extulit annorum nonaginta, quum esset septem et sexaginta, *se nunquam cum matre in gratiam redìsse, nunquam cum sorore fuisse in simultate*, quam prope æqualem habebat. Quod est signum, aut nullam unquam inter eos querimoniam intercessisse, aut hunc eâ fuisse in suos indulgentiâ, ut, quos amare deberet, irasci eis nefas duceret. Neque id fecit naturâ solùm, quanquam omnes ei paremus, sed etiam doctrinâ. Nam et principum philosophorum ita percepta habuit præcepta, ut iis ad vitam agendam, non ad ostentationem, uteretur.

XVIII. Moris etiam majorum summus imitator fuit, antiquitatisque amator: quam adeò diligenter habuit cognitam, ut eam totam in eo volumine exposuerit, quo magistratus ornavit. Nulla enim lex, neque pax, neque bellum, neque res illustris est populi Romani, quæ non in eo suo tempore sit notata; et, quod difficillimum fuit, sic familiarum originem subtexuit, ut ex eo clarorum virorum propagines possimus cognoscere. Fecit hoc idem separatim in aliis libris: ut M. Bruti rogatu Juniam familiam a stirpe ad hanc ætatem ordine enumeravit, notans, qui, a quo ortus, quos honores, quibusque temporibus, cepisset. Pari modo Marcelli Claudii, Marcellorum; Scipionis Cornelii, et Fabii Maximi, Fabiorum, et Æmiliorum quoque: quibus libris nihil potest esse dulcius iis, qui

aliquam cupiditatem habent notitiæ clarorum virorum. Attigit quoque poëticen: credimus, ne ejus expers esset suavitatis. Namque versibus, qui honore rerumque gestarum amplitudine cæteros Romani populi præstiterunt, exposuit: ita, ut sub singulorum imaginibus facta magistratusque eorum non ampliùs quaternis quinisve versibus descripserit: quod vix credendum sit, tantas res tam breviter potuisse declarari. Est etiam liber Græcè confectus, *de consulatu Ciceronis.*

XIX. Hactenus Attico vivo edita hæc a nobis sunt. Nunc quoniam fortuna nos superstites ei esse voluit, reliqua persequemur, et, quantùm potuerimus, rerum exemplis lectores docebimus, sicut suprà significavimus, *suos cuique mores plerùmque conciliare fortunam.* Namque hic contentus ordine equestri, quo erat ortus, in affinitatem pervenit imperatoris Divi [Julii] filii: quum jam antè familiaritatem ejus esset consecutus nullâ aliâ re, quàm elegantiâ vitæ, qua cæteros ceperat principes civitatis, dignitate pari, fortunâ humiliore. Tanta enim prosperitas Cæsarem eum est consecuta, ut nihil ei non tribuerit fortuna, quod cuiquam ante detulerit, et conciliârit quod nemo adhuc civis Romanus quivit consequi. Nata autem est Attico neptis ex Agrippâ, cui virginem filiam collocârat. Hanc Cæsar, vix anniculam, Tiberio Claudio Neroni, Drusillâ nato, privigno suo, despondit: quæ conjunctio necessitudinem eorum sanxit, familiaritatem reddidit frequentiorem.

XX. Quamvis ante hæc sponsalia non solùm, quum ab urbe abesset, nunquam ad suorum quenquam litteras misit, quin Attico mitteret, quid ageret, imprimis quid legeret; quibusque in locis, et quamdiu esset moraturus: sed etiam quum esset in urbe, et propter suas infinitas occupationes minùs sæpè quàm vellet Attico frueretur, nullus dies [tamen] temerè intercessit, quo non ad eum scriberet: quum modò aliquid de antiquitate ab eo requireret, modò aliquam ei quæstionem poëticam proponeret, interdum jocans

ejus verbosiores eliceret epistolas. Ex quo accidit, quum ædes Jovis Feretrii, in Capitolio ab Romulo constituta, vetustate atque incuriâ detecta prolaberetur, ut Attici admonitu Cæsar eam reficiendam curaret. Neque verò ab M. Antonio minùs absens litteris colebatur: adeò ut accuratè ille ex ultimis terris, quid ageret, quid curæ sibi haberet, certiorem faceret Atticum. Hoc quale sit, faciliùs existimabit is, qui judicare poterit, quantæ sit sapientiæ, eorum retinere usum benevolentiamque, inter quos maximarum rerum non solùm æmulatio, sed obtrectatio tanta intercedebat, quantam fuit incidere necesse inter Cæsarem atque Antonium; quum se uterque principem non solùm urbis Romæ, sed orbis terrarum esse cuperet.

XXI. Tali modo quum septem et septuaginta annos complêsset, atque ad extremam senectutem non minùs dignitate, quàm gratiâ fortunâque crevisset; (multas enim hæreditates nullâ aliâ re quàm bonitate est consecutus) tantâque prosperitate usus esset valetudinis, ut annos triginta medicinâ non indiguisset: nactus est morbum, quem initio et ipse et medici contempserunt. Nam putârunt esse tenesmon; cui remedia celeria faciliaque proponebantur. In hoc quum tres menses sine ullis doloribus, præterquam quos ex curatione capiebat, consumpsisset; subitò tanta vis morbi in unum intestinum prorupit, ut extremo tempore per lumbos fistula putris eruperit. [Atque hoc priusquam ei accideret,] postquam in dies dolores accrescere febremque accessisse sensit, Agrippam generum ad se arcessi jussit, et cum eo L. Cornelium Balbum, Sextumque Peducæum. Hos ut venisse vidit, in cubitum innixus; *quantam*, inquit, *curam diligentiamque in valetudine meâ tuendâ hoc tempore adhibuerim, quum vos testes habeam, nihil necesse est pluribus verbis commemorare. Quibus quoniam, ut spero, satisfeci, me nihil reliqui fecisse, quod ad sanandum me pertineret, reliquum est, ut egomet mihi consulam. Id vos ignorare nolui. Nam mihi stat, alere morbum desinere. Namque his diebus quiqduid*

sibi potionisque sumpsi, ita produxi vitam, ut auxerim dolores sine spe salutis. Quare a vobis peto primùm, ut consilium probetis meum: deinde, ne frustrà dehortando conemini.

XXII. Hâc oratione habitâ tantâ constantiâ vocis atque vultûs, ut non ex vitâ, sed ex domo in domum videretur migrare, quum quidem Agrippa eum flens atque osculans oraret atque obsecraret, *ne ad id, quod natura cogeret, ipse quoque acceleraret; et quoniam tum quoque posset temporibus superesse, se sibi suisque reservaret;* preces ejus taciturnâ suâ obstinatione depressit. Sic quum biduum cibo se abstinuisset, subitò febris decessit, leviorque morbus esse cœpit. Tamen propositum nihilo seciùs peregit. Itaque die quinto pòst quàm id consilium inierat, pridie Kalendas Aprilis, Cn. Domitio, C. Sosio Coss., decessit. Elatus est in lecticulâ; ut ipse præscripserat, sine ullâ pompâ funeris, comitantibus omnibus bonis, maximâ vulgi frequentiâ. Sepultus est juxta viam Appiam, ad quintum lapidem, in monumento Quinti Cæcilii, avunculi sui.

EPISTOLÆ SELECTÆ

M. T. CICERONIS.

1. CICERO S. D. T. FADIO.—Etsi egomet, qui te consolari cupio, consolandus ipse sum: propterea quòd nullam rem graviùs jam diù tuli, quàm incommodum tuum: tamen te magnopere non hortor solùm, sed etiam, pro amore nostro rogo, atque oro, te colligas, virumque præbeas, et quâ conditione omnes homines, et quibus temporibus nati sumus, cogites. Plus tibi virtus tua dedit, quàm fortuna abstulit: propterea quòd adeptus es, quod non multi homines novi: amisisti, quod plurimi homines nobilissimi. Ea denique videtur conditio impendere legum, judiciorum, temporum, ut optimè actum cum eo esse videatur, qui quam levissimâ penâ ab hac republica discesserit. Tu verò, qui et fortunas, et liberos habeas, et nos, cæterosque necessitudine, et benevolentiâ tecum conjunctissimos: quique magnam facultatem sis habiturus nobiscum, et cum omnibus tuis vivendi, et cum unum sit judicium ex tam multis, quod reprehendatur, ut quod unâ sententiâ, eâque dubiâ, potentiæ alicujus condonatum existimetur: omnibus his de causis debes istam molestiam quàm lenissimè ferre. Meus animus erit in te, liberosque tuos semper, quem tu esse vis, et qui esse debet. Vale.

2. CICERO S. D. A. CÆCINÆ.—Quotiescumque filium tuum video (video autem fere quotidie) pol-

liceor ei studium quidem meum, et operam sine ulla exceptione aut laboris, aut occupationis, aut temporis: gratiam autem, atque auctoritatem, cum hac exceptione, quantùm valeam, quantùmque possim. Liber tuus et lectus est, et legitur à me diligenter, et custoditur diligentissimè. Res, et fortunæ tuæ mihi maximæ curæ sunt: quæ quidem quotidiè faciliores mihi, et meliores videntur, multisque video magnæ esse curæ, quorum de studio, et de sua spe, filium ad te perscripsisse, certò scio. His autem de rebus, quas conjecturâ consequi possumus, non mihi sumo, ut plus ipse prospiciam, quàm te videre, atque intelligere mihi persuaserim: sed tamen, quia fieri potest, ut tu ea perturbatiore animo cogites, puto, esse meum, quid sentiam exponere. Ea natura rerum est, et is temporum cursus, ut non possit ista, aut tibi, aut cæteris fortuna esse diuturna, neque hærere in tam bona causa, et in tam bonis civibus tam acerba injuria. Quare ad eam spem, quam extra ordinem de te ipso habemus, non solùm propter dignitatem, et virtutem tuam (hæc enim ornamenta sunt tibi etiam cum aliis communia) accedunt tua præcipua, propter eximium ingenium, summamque virtutem: cui, mehercule, hic, cujus in potestate sumus, multum tribuit. Itaque ne punctum quidem temporis in ista fortuna fuisses, nisi eo ipso bono tuo, quo delectatur, se violatum putasset. Quod ipsum lenitur quotidiè: significaturque nobis ab iis, qui simul cum eò vivunt, tibi hanc ipsam opinionem ingenii apud ipsum plurimum profuturam. Quapropter primùm fac, animo forti, atque magno sis. Ita enim natus, ita educatus, ita doctus es, ita etiam cognitus, ut sid tibi faciendum sit: deinde spem quoque habeas firmissimam propter eas causas, quas scripsi. A me verò tibi omnia, liberisque tuis paratissima esse confidas velim. Id enim et vetustas nostri amoris, et mea consuetudo in meos, et tua multa erga me officia postulant. Vale.

3. Cicero S. D. Ligario.—Etsi tali tuo tempore me aut consolandi, aut juvandi tui causâ scribere ad

te aliquid pro nostra amicitia oportebat; tamen adhuc id non feceram: quia neque lenire videbar oratione, neque levare posse dolorem tuum. Postea verò quàm magnam spem habere cœpi, fore ut te brevi tempore incolumem haberemus; facere non potui, quin tibi et sententiam et voluntatem declararem meam. Primum igitur scribam, quod intelligo, et perspicio, non fore in te Cæsarem duriorem. Nam et res eum quotidiè, et dies, et opinio hominum, et, ut mihi videtur, etiam sua natura mitiorem facit: idque cùm de reliquis sentio, tùm de te etiam audio ex familiarissimis ejus; quibus ego ex eo tempore, quo primùm ex Africa nuntius venit, supplicare unà cum fratribus tuis non destiti. Quorum quidem, et virtus, et pietas, et amor in te singularis, et assidua, et perpetua cura salutis tuæ tantùm proficit, ut nihil sit, quod non ipsum Cæsarem tributurum existimem. Sed si tardiùs fit, quàm volumus, magnis occupationibus ejus, à quo omnia petuntur, aditus ad eum difficiliores fuerunt: et simul Africanæ causæ iratior, diutiùs velle videtur eos habere sollicitos, à quibus se putat diuturnioribus esse molestiis conflictatum. Sed hoc ipsum intelligimus eum quotidiè remissiùs, et placatiùs ferre. Quare mihi crede, et memoriæ manda, me tibi id affirmasse, te in istis molestiis diutiùs non futurum. Cum, quid sentirem, exposui; quid vellem tuâ causâ, re potiùs declarabo, quàm oratione; et, si tantùm possem, quantùm in ea republica, de qua ita sum meritus, ut tu existimas, posse debebam, ne tu quidem in istis incommodis esses. Eadem enim causa opes meas fregit, quæ tuam salutem in discrimen adduxit. Sed tamen quidquid imago veteris meæ dignitatis, quidquid reliquæ gratiæ valebunt, studium, consilium, opera, gratia, fides mea, nullo loco deerit tuis optimis fratribus. Tu fac, habeas fortem animum, quem semper habuisti, primùm ob eas causas quas scripsi: deinde, quod ea de republicâ semper voluisti, atque sensisti, ut non modò nunc secunda sperare debeas; sed etiam, si omnia adversa essent, tamen conscientiâ

et factorum, et consiliorum tuorum, quæcumque acciderent, fortissimo, et maximo animo ferre deberes. Vale.

4. Cicero S. D. Thoranio.—Etsi, cum hæc ad te scribebam, aut appropinquare exitus hujus calamitosissimi belli, aut jam aliquid actum, et confectum videbatur, tamen quotidiè commemorabam, te unum in tanto exercitu mihi fuisse assensorem, et me tibi: solosque nos vidisse, quantum esset in eo bello mali, in quo, spe pacis exclusâ, ipsa victoria futura esset acerbissima, quæ, aut interitum allatura esset, si victus esset, aut si vicisses, servitutem. Itaque ego, quem tum fortes illi viri, et sapientes, Domitii, et Lentuli timidum esse dicebant (eram planè: timebam enim, ne evenirent ea, quæ acciderunt) idem nunc nihil timeo, et ad omnem eventum paratus sum. Cum aliquid videbatur caveri posse, tùm id negligi dolebam. Nunc verò, eversis omnibus rebus, cum consilio profici nihil possit, una ratio videtur, quidquid evenerit, ferre moderatè: præsertim cum omnium rerum mors sit extremum: et mihi sim conscius, me, quoad licuerit, dignitati reipublicæ consuluisse: et, hac amissâ, salutem retinere voluisse. Hæc scripsi, non ut de me ipse dicerem, sed ut tu, qui conjunctissimâ fuisti mecum et sententiâ et voluntate, eadem cogitares. Magna enim consolatio est, cùm recordare, etiamsi secus acciderit, te tamen rectè, verèque sensisse. Atque utinam liceat aliquando aliquo reipublicæ statu nos frui, interque nos conferre sollicitudines nostras, quas pertulimus tùm, cùm timidi putabamur; quia dicebamus ea futura, quæ facta sunt. De tuis rebus nihil esse, quod timeas, præter universæ reipublicæ interitum, tibi confirmo. De me autem, sic velim, judices, quantum ego possim, me tibi, saluti tuæ, liberisque tuis summo cum studio præstò semper futurum. Vale.

5. Cicero S. D. Dolabellæ suo.—Vel meo ipsius interitu mallem litteras meas desiderares, quàm eo casu, quo sum gravissimè afflictus; quem ferrem certè

moderatiùs, si te haberem. Nam et oratio tua prudens, et amor erga me singularis, multùm levaret. Sed cum brevi tempore, ut opinio nostra est, te sum visurus, ita me affectum offendes, ut multum à te possim juvari: non quò ita sim fractus, ut aut hominem me esse oblitus sim, aut fortunæ succumbendum putem: sed tamen hilaritas illa nostra, et suavitas, quæ te præter cæteros delectabat, erepta mihi omnis est. Firmitatem tamen et constantiam, si modò fuit aliqua in nobis, eamdem cognosces, quam reliquisti. Quod scribis, prælia te meâ causâ sustinere, non tàm id laboro, ut, si qui mihi obtrectent, à te refutentur, quàm intelligi cupio, quod certè intelligitur, me à te amari. Quod ut facias, te etiam atque etiam rogo, ignoscasque brevitati mearum litterarum. Nam et celeriter unà futuros nos arbitror, et nondum satis confirmatus sum ad scribendum. Vale.

6. CICERO S. D. MARCELLO.—Neque monere te audeo præstanti prudentiâ virum; nec confirmare maximi animi hominem, unumque fortissimum; consolari verò nullo modo. Nam si ea, quæ acciderunt, ita fers, ut audio; gratulari magis virtuti debeo, quàm consolari dolorem tuum. Sin te tanta mala reipublicæ frangunt, non ita abundo ingenio, ut te consoler, cum ipse me non possim. Reliquum est igitur, ut tibi me in omni re eum præbeam, præstemque, ut ad omnia, quæ tui velint, ita adsim præstò, ut me non solùm omnia debere tuâ causâ, quæ possum, sed ea quoque, quæ non possim, putem. Illud tamen, vel tu me monuisse, vel censuisse puta, vel propter benevolentiam tacere non potuisse: ut, quod ego facio, tu quoque in animum inducas, si sit aliqua respublica, in ea te esse oportere judicio hominum, reque principem, necessitate cedentem tempori: sin autem nulla sit, hunc tamen aptissimum esse etiam ad exulandum locum. Si enim libertatem sequimur, qui locus hoc dominatu vacat? Sin qualemcumque locum; quæ est domesticâ sede jucundior? Sed (mihi crede) etiam is, qui omnia tenet, favet ingeniis: nobilitatem verò, et

dignitates hominum, quantùm ei res, et ipsius causa concedit, amplectitur. Sed plura, quam statueram. Redeo ergo ad unum illud, me tuum esse; fore cum tuis, si modò erunt tui: sin minùs, me certè in omnibus rebus satis nostræ conjunctioni, amorique facturum. Vale.

7. CICERO S. D. MARCELLO.—Etsi nihil erât novi, quod ad te scriberem, magisque litteras tuas jam expectare incipiebam, vel te potius ipsum: tamen cum Theophilus proficisceretur, non potui nihil ei litterarum dare. Cura igitur, ut quàm primùm venias. Venies enim, mihi crede, spectatus, neque solum nobis, id est, tuis, sed prorsus omnibus. Venit enim mihi in mentem, subvereri interdum, ne te delectet tarda decessio. Quòd si nullum haberes sensum, nisi oculorum, prorsus tibi ignoscerem, si quosdam nolles videre; sed cum leviora non multo essent, quæ audirentur, quàm quæ viderentur; suspicarer autem, multum interesse rei familiaris tuæ, te quamprimùm venire, idque in omnes partes valeret; putavi, eâ de re te esse admonendum. Sed, quoniam quod mihi placeret, ostendi; reliqua tu pro tua prudentia considerabis. Me tamen velim, quod ad tempus te expectemus, certiorem facias. Vale.

8. CICERO S. D. PLANCO.—O gratam famam biduo ante victoriam, de subsidio tuo, de studio, de celeritate, de copiis! Atque etiam hostibus fusis, spes omnis in te est. Fugisse enim ex prælio Mutinensi dicuntur notissimi latronum duces. Est autem non minùs gratum extrema delere, quàm prima depellere. Equidem expectabam jam tuas litteras, idque cum multis. Sperabamque etiam, Lepidum reipublicæ temporibus admonitum, tecum. et reipublicæ satis esse facturum. In illam igitur curam incumbe, mi Plance, ut ne quæ scintilla teterrimi belli relinquatur. Quod si erit factum: et rempublicam divino beneficio affeceris, et ipse æternam gloriam consequere.

9. CICERO S. D. PLANCO.—Quamquam gratiarum actionem à te non desiderabam, cùm te re ipsâ, atque

animo scirem esse gratissimum: tamen (fatendum est enim) fuit ea mihi perjucunda. Sic enim vidi, quasi ea, quæ oculis cernuntur, me à te amari. Dices, quid antea? Semper equidem; sed nunquam illustriùs. Litteræ tuæ mirabiliter gratæ sunt senatui, cùm rebus ipsis, quæ erant gravissimæ, et maximæ, fortissimi animi, summique consilii; tùm etiam gravitate sententiarum, atque verborum. Sed, mi Plance, incumbe, ut belli extrema perficias. In hoc erit summa et gratia, et gloria. Cupio omnia reipublicæ causâ: sed, mehercule, in ea conservanda jam defatigatus, non multò plus patriæ faveo, quàm tuæ gloriæ: cujus maximam facultatem tibi dii inmortales, ut spero, dedere: quam complectere, obsecro. Qui enim Antonium oppresserit, is hoc bellum teterrimum, periculosissimumque confecerit. Vale.

10. Cicero S. D. Terentiæ.—Quòd nos in Italiam salvos venisse gaudes, perpetuò gaudeas velim. Sed perturbati dolore animi, magnisque injuriis, metuo ne id consilii ceperimus, quod non facilè explicare possimus. Quare, quantùm potes, adjuva. Quid autem possis, mihi in mentem non venit. In viam quòd te des hoc tempore, nihil est: et longum est iter, et non tutum: et non video, quid prodesse possis, si veneris. Vale. D. prid. nonas Novemb. Brundusio.

11. Tullius S. D. Tironi.—Non queo ad te, nec lubet scribere, quo animo sim affectus: tantùm scribo, et tibi et mihi maximæ voluptati fore, si te firmum quàm primùm videro. Tertio die abs te ad Alyziam accesseramus. Is locus est citra Leucadem stadia cxx. Leucade aut te ipsum, aut tuas litteras à Marione putabam me accepturum. Quantùm me diligis, tantùm fac ut valeas, vel quantùm te à me scis diligi. Nonis Novemb. Alyziâ.

12. Cicero S. D. Tironi.—Tertiam ad te hanc epistolam scripsi eodem die, magis instituti mei tenendi causâ, quia nactus eram, cui darem, quàm quò haberem, quid scriberem. Igitur illa: quantùm me diligis, tantum adhibe in te diligentiæ. Ad tua innu-

merabilia in me officia adde hoc, quod mihi erit gratissimum omnium: cum valetudinis rationem, ut spero, habueris, habeto etiam navigationis. In Italiam euntibus omnibus ad me litteras dabis, ut ego euntem Patras neminem prætermitto. Cura, cura te, mi Tiro. Cum non contigit, ut simul navigares, nihil est, quod festines: nec quidquam cures, nisi ut valeas. Etiam, atque etiam vale. VII. Idus Novemb. Actio, vesperi.

13. CICERO S. D. TIRONI.—Septimum jam diem Corcyræ tenebamur; Quintus autem pater et filius Buthroti. Solliciti eramus de tua valetudine mirum in modum: nec mirabamur nihil à te litterarum. Iis enim ventis istinc navigatur, qui si essent, nos Corcyræ non sederemus. Cura igitur te, et confirma: et cum commodè, et per valetudinem, et per anni tempus navigare poteris, ad nos, amantissimos tui, veni. Nemo nos amat, qui te non diligat. Carus omnibus, expectatusque venies. Cura, ut valeas etiam atque etiam, Tiro noster. Vale. XV. Kalend. Novembr. Corcyra.

14. CICERO M. CELIO S. D.—Putaresnè unquam accidere posse, ut mihi verba deessent, neque solùm ista vestra oratoria, sed hæc etiam levia nostratia? Desunt autem propter hanc causam, quòd mirificè sum sollicitus, quidnam de provinciis decernatur. Mirum me desiderium tenet urbis, incredibile meorum, atque in primis tui; satietas autem provinciæ: vel quia videmur eam famam consecuti, ut non tam accessio quærenda, quàm fortuna metuenda sit: vel quia totum negotium non est dignum viribus nostris, qui majora onera in republica sustinere possimus, et soleamus: vel quia belli magni timor impendet, quod videmur effugere, si ad constitutam diem decedemus. De pantheris, per eos, qui venari solent, agitur mandato meo diligenter: sed mira paucitas est, et eas, quæ sunt, valde aiunt queri: quod nihil cuiquam insidiarum in mea provincia, nisi sibi, fiat. Itaque constituisse dicuntur in Cariam ex nostra provincia decedere. Sed

tamen sedulò fit, et in primis a Patisco. Quidquid erit, tibi erit: sed, quid esset, planè nesciebamus. Mihi, mehercule, magnæ curæ est ædilitas tua: ipse dies me admonebat: scripsi enim hæc ipsis Megalensibus. Tu velim ad me de omni reipublicæ statu quàm diligentissimè perscribas: ea enim certissima putabo, quæ ex te cognovero. Vale.

15. CICERO S. D. APPIO PULCHRO IMP.—Si ipsa respublica tibi narrare posset, quomodo sese haberet, non faciliùs ex ea cognoscere posses, quàm ex liberto tuo Phania: ita est homo non modò prudens, verum etiam (quod juvet) curiosus. Quapropter ille tibi omnia explanabit: id et ad brevitatem est aptius, et ad reliquas res providentius. De mea autem benevolentia erga te, et si potes ex eodem Phania cognoscere, tamen videntur etiam aliquæ meæ partes. Sic est, tibi persuade, carissimum te mihi esse, cùm propter multas suavitates ingenii, officii, humanitatis tuæ, tùm quòd ex litteris tuis, et ex multorum sermonibus intelligo, omnia, quæ à me profecta sunt in te, tibi accidisse gratissima. Quod cum ita sit perficiam profecto, ut longi temporis usuram, quà caruimus, intermissâ nostrâ consuetudine, et gratia, et celebritate, et magnitudine officiorum meorum sarciam: idque me (quoniam tu ita vis) puto non invitâ Minervâ esse facturum: quam quidem ego si forte de tuis sumpsero, non solum Pallada, sed etiam Appiada nominabo. Cilix, libertus tuus, antea mihi minus fuit notus: sed ut mihi reddidit à te litteras plenas et amoris, et officii, mirificè ipse suo sermone subsecutus est humanitatem literarum tuarum. Jucunda mihi ejus oratio fuit, cum de animo tuo, de sermonibus, quos de me haberes quotidie, mihi narraret. Quid quæris? Biduò factus est mihi familiaris; ita tamen, ut Phaniam valde sim desideraturus, quem cum Romam remittes, quod (ut putabamus) celeriter eras facturus, omnibus ei de rebus, quas agi, quas curari à me voles, mandata des velim. L. Valerium juris-consultum valde tibi commendo: sed ita etiam, si non est juris-con-

sultus. Melius enim ei cavere volo, quam ipse aliis solet. Valdè hominem diligo. Est ex meis domesticis, atque intimis familiaribus. Omnino tibi agit gratias: sed idem scribit, meas litteras maximum apud te pondus habituras. Id eum ne fallat, te etiam atque etiam rog·· Vale.

16. Cicero S. D. Servio Sulpicio.—Caius Trebatius familiaris meus ad me scripsit, te ex se quæsisse, quibus in locis essem: molestèque te ferre, quòd me propter valetudinem tuam, cum ad urbem accesissem, non vidisses: et hoc tempore velle te mecum, si propius accesissem, de officio utriusque nostrum communicare. Utinam, Servi, salvis rebus (sic enim est dicendum) colloqui potuissemus inter nos: profectò aliquid opis occidenti reipublicæ tulissemus. Cognôram enim jam absens, te hæc mala multo ante providentem, defensorem pacis, et in consulatu tuo, et post consulatum fuisse. Ego autem cum consilium tuum probarem, et idem ipse sentirem, nihil proficiebam. Serò enim veneram; solus eram; rudis esse videbar in causa; incideram in hominum pugnandi cupidorum insanias. Nunc quoniam nihil jam videmur opitulari posse reipublicæ; siquid est, in quo nobismet ipsis consulere possimus, non ut aliquid ex pristino statu nostro retineamus, sed ut quàm honestissimè lugeamus, nemo est omnium, quicum potius mihi, quam tecum, communicandum putem. Neque enim clarissimorum virorum, quorum similes esse debemus, exempla, neque doctissimorum, quos semper coluisti, præcepta te fugiunt. Atque ipse antea ad te scripsissem, te frustrà in senatum, sivè potius in conventum senatorum esse venturum, ni veritus essem, ne ejus animum offenderem, qui à me, ut te imitarer, petebat. Cui quidem ego, cum me rogaret, ut adessem in senatu, eadem omnia, quæ à te de pace, et de Hispaniis dicta sunt, ostendi me esse dicturum. Res vides quomodò se habeat: orbem terrarum, imperiis distributis, ardere bello: urbem sine legibus, sine judiciis, sine jure, sine fide, relictam direptioni, et

incendiis. Itaque mihi venire in mentem nihil potest, non modo quid sperem, sed vix jam quid audeam optare. Sin autem tibi, homini prudentissimo, videtur utile esse, nos colloqui, quamquàm longius etiam cogitabam ab urbe discedere, cujus jam etiam nomen invitus audio, tamen propius accedam: Trebatioque mandavi, ut, si quid tu eum velles ad me mittere, ne recusaret; idque ut facias velim; aut si quem tuorum fidelium voles, ad me mittas; ne aut tibi exire ex urbe necesse sit, aut mihi accedere. Ego tantum tibi tribuo, quantum mihi fortasse arrogo: ut exploratum habeam, quidquid nos communi sententia statuerimus, id omnes homines probaturos. Vale.

17. Cicero S. D. Ligario.—Me scito omnem meum laborem, omnem operam, curam, studium in tua salute consumere. Nam cùm te semper maximè dilexi, tùm fratrum tuorum, quos æquè, atque te, summâ benevolentiâ sum complexus, singularis pietas, amorque fraternus, nullum me patitur officii erga te, studiique munus, aut tempus prætermittere. Sed, quæ faciam, fecerimque pro te, ex illorum te litteris, quàm ex meis malo cognoscere. Quid autem sperem, aut confidam, et exploratum habeam de salute tua, id tibi à me declarari volo. Nam si quisquam est timidus in magnis periculosisque rebus, semperque magis adversos rerum exitus metuens, quàm sperans secundos, is ego sum: et, si hoc vitium est, eo me non carere confiteor. Ego idem tamen cum ad V. Kalendas intercalares priores, rogatu fratrum tuorum venissem manè ad Cæsarem, atque omnem adeundi, et conveniendi illius indignitatem, et molestiam pertulissem; cum fratres, et propinqui tui jacerent ad pedes, et ego essem locutus, quæ causa, quæ tuum tempus postulabat: non solùm ex oratione Cæsaris, quæ sanè mollis, et liberalis fuit, sed etiam ex oculis, et vultu, ex multis præterea signis, quæ faciliùs perspicere potui, quàm scribere, hanc in opinionem discessi, ut mihi tua salus dubia non esset. Quamobrem fac animo magno, fortique sis: et si turbidissima sapienter ferebas,

tranquilliora lætè feras. Ego tamen tuis rebus sic adero, ut difficillimis: neque Cæsari solum, sed etiam amicis ejus omnibus, quos mihi amicissimos esse cognovi, pro te, sicut adhuc feci, libentissimè supplicabo. Vale.

18. Cicero S. D. Curio.—Memini, cùm mihi desipere videbare, quòd cum istis potiùs viveres, quàm nobiscum. Erat enim multò domicilium hujus urbis (cum quidem hæc urbs) aptiùs humanitati, et suavitati tuæ, quàm tota Peloponnesus, nedùm Patræ. Nunc contra et vidisse mihi multum videris, cum, propè desperatis his rebus, te in Græciam contulisti: et hoc tempore non solùm sapiens, qui hinc absis, sed etiam beatus. Quamquam quis, qui aliquid sapiat, nunc esse beatus potest? Sed quod tu, cui licebat, pedibus es consecutus, ut ibi esses, *ubi nec Pelopidarum* * * * nosti cætera: nos idem propemodùm consequimur aliâ ratione. Cum enim salutationi nos dedimus amicorum, quæ fit hoc etiam frequentiùs, quàm solebat, quòd, quasi avem albam, videnter benè sentientem civem videre: abdo me in bibliothecam. Itaque opera efficio tanta, quanta fortasse tu senties. Intellexi enim ex tuo sermone quodam, cum meam mæstitiam, et desperationem accusares, domui tuæ dicere te, ex meis libris animum meum desiderare. Sed mehercùlè, et tùm rempublicam lugebam, quæ non solùm suis erga me, sed etiam meis erga se beneficiis erat mihi carior: et hoc tempore, quamquam me non ratio solùm consolatur, quæ plurimum debet valere, sed etiam dies, quæ stultis quoque mederi solet: tamen doleo, ita rem communem esse dilapsam, ut, ne spes quidem meliùs aliquando fore relinquatur. Nec verò nunc quidem culpa in eo est, in cujus potestate omnia sunt (nisi fortè id ipsum esse non debuit) sed alia casu, alia etiam nostrâ culpâ sic acciderunt, ut de præteritis non sit querendum. Reliquam spem nullam video. Quare ad prima redeo. Sapienter hæc reliquisti, si consilio: feliciter, si casu. Vale.

19. Cicero Curio S. D.—Ego vero jam te nec

hortor, nec rogo, ut domum redeas; quin hinc ipse evolare cupio, et aliquo pervenire, "ubi nec Pelopidarum nomen, nec facta audiam." Incredibile est, quam turpiter mihi facere videar, qui his rebus intersim. Næ tu videris multo ante providisse quid impenderet, tum cum hinc profugisti. Quanquam enim hæc etiam auditu acerba sunt, tamen audire tolerabilius est, quam videre. In campo certe non fuisti, cum hora secunda, comitiis quæstoriis institutis, sella Q. Maximi, quem illi consulem esse dicebant, posita esset: quo mortuo nuntiato, sella sublata est. Ille autem, qui comitiis tributis esset auspicatus, centuriata habuit: consulem hora septima renuntiavit, qui usque ad kal. Jan. esset: quæ erant futuræ mane postridie. Ita, Caninio consule, scito neminem prandisse. Nihil tamen eo consule mali factum est. Fuit enim mirifica vigilantia, qui suo toto consulatu somnum non viderit. Hæc tibi ridicula videntur: non enim ades. Quæ si videres, lacrymas non teneres. Quid si cætera scribam? Sunt enim innumerabilia generis ejusdem: quæ quidem ego non ferrem, nisi me in philosophiæ portum contulissem, et nisi haberem socium studiorum meorum Atticum nostrum: cujus cum proprium te esse scribis mancipio et nexu; meum autem usu et fructu; contentus isto sum. Id enim est cujusque proprium, quo quisque fruitur, atque utitur. Sed hæc aliàs pluribus. Acilius, qui in Græciam cum legionibus missus est, maximo meo beneficio est. Bis enim est a me judicio capitis, rebus salvis, defensus: et est homo non ingratus, meque vehementer observat. Ad eum de te diligentissime scripsi, eamque epistolam cum hac conjunxi: quam ille quo modo acceperit, et quid tibi pollicitus sit, velim ad me scribas. Vale.

20. Cicero Curio S. D.—Facile perspexi ex tuis literis (quod semper studui) et me a te plurimi fieri, et te intelligere quam mihi carus esses. Quod cum uterque nostrum consecutus est, reliquum est ut officiis certemus inter nos; quibus æquo animo vel vincam te, vel vincar abs te. Acilio non fuisse necesse

meas dari literas facile patior. Sulpicii tibi operam intelligo ex tuis literis, non multum opus fuisse, propter tuas res ita contractas, ut quemadmodum scribis, nec caput, nec pedes. Equidem vellem, uti pedes haberent, ut aliquando redires. Vides enim exaruisse jam veterem urbanitatem: ut Pomponius noster suo jure possit dicere, "nisi nos pauci retineamus gloriam antiquam Atticam." Ergo is tibi, nos ei succedimus. Veni igitur, quæso, ne tamen semen urbanitatis unà cum republica intereat.

21. M. Cicero Volumnio S. D.—Quod declamationibus nostris cares, damni nihil facis. Quod Hirtio invideres, nisi eum amares, non erat causa invidendi: nisi forte ipsius eloquentiæ magis, quam quod me audiret, invideres. Nos enim plane, mi suavissime Volumni, aut nihil sumus, aut nobis quidem ipsis displicemus, gregalibus illis, quibus, te plaudente, vigebamus, amissis: ut etiam, si quando aliquid dignum nostro nomine emisimus, ingemiscamus, quod hæc "pennigero, non armigero in corpore tela exerceantur," ut ait Philoctetes apud Accium, abjecta gloria. Sed tamen omnia mihi erunt, si tu veneris, hilariora. Quanquam venies, ut ipse intelligis, in maximarum quasi concursum occupationum: quas si, ut volumus, exceperimus, ego vero multam salutem et foro dicam et curiæ vivamque tecum multum, et cum communibus nostris amatoribus. Nam et Cassius tuus, et Dolabella noster, vel potius uterque noster, studiis iisdem tenentur, et meis æquissimis utuntur auribus. Opus est hoc limatulo et polito tuo judicio, et illis interioribus literis meis, quibus sæpe verecundiorem me in loquendo facis. Mihi enim judicatum est, si modò hoc Cæsar aut patietur, aut volet, deponere illam jam personam, in qua me sæpe illi ipsi probavi, ac me totum in literas abdere, tecumque et cum cæteris earum studiosis honestissimo otio perfrui. Tu, vellem, ne veritus esses, ne perinvitus legerem tuas literas, si mihi, (quemadmodum scribis) longiores forte misisses: ac velim posthac sic statuas,

tuas mihi literas longissimas quasque, gratissimas fore. Vale.

22. CICERO VARRONI.—Mihi vero ad Non. bene maturum videtur fore, neque solum propter reipublicæ, sed etiam propter anni tempus. Quare diem istum probo. Itaque eundem ipse sequar. Consilii nostri, ne si eos quidem, qui id secuti non sunt, non pœniteret, nobis pœnitendum putarem. Secuti enim sumus non spem, sed officium. Reliquimus autem non officium, sed desperationem. Ita verecundiores fuimus, quàm qui, se domo non commoverunt: saniores, quam qui, amissis opibus, domum non reverterunt. Sed nihil minus fero, quam severitatem otiosorum: et, quoquo modo se res haberet, magis illos vereor, qui in bello occiderunt, quam hos curo, quibus non satisfacimus, quia vivimus. Mihi si spatium fuerit in Tusculanum ante Nonas veniendi, istic te videbo. Sin minus, persequar in Cumanum: et ante te certiorem faciam, ut lavatio parata sit.

23. CICERO VARRONI.—Caninius noster me tuis verbis admonuit, ut scriberem ad te, si quid esset quod putarem te scire oportere. Est igitur adventus Cæsaris, scilicet, in expectatione: neque tu id ignoras. Sed tamen, cum ille scripsisset, ut opinor, se in Alsiense venturum, scripserunt ad eum sui, ne id faceret: multos ei molestos fore, ipsumque multis: Ostiæ videri commodius eum exire posse. Id ego non intelligebam quid interesset. Sed tamen Hirtius mihi dixit, et se ad eum, et Balbum, et Oppium scripsisse ut ita faceret, homines, ut cognovi, amantes tui. Hoc ego idcirco nosse te volui, ut scires, hospitium tibi ubi parares, vel potius ubi utrique. Quid enim ille facturus sit, incertum est: et simul ostentavi tibi, me istis esse familiarem, et consiliis eorum interesse. Quod ego cur nolim, nihil video. Non enim est idem, ferre si quid ferendum est, et probare si quid probandum non est. Etsi, quid non probem quidem, nescio, præter initia rerum. Nam hæc in voluntate fuerunt. Vidi enim (nam tu aberas) nostros amicos cupere

bellum: hunc autem non tam cupere, quam non timere. Ergo hæc consilii fuerunt: reliqua necessaria. Vincere autem aut hos, aut illos necesse est. Scio te semper mecum in luctu fuisse, cum videremus, quam illud ingens malum alterius utrius exercitus et ducum interitu: tum vero extremum malorum omnium esse civilis belli victoriam: quam quidem ego etiam illorum timebam, ad quos veneramus. Crudeliter enim otiosis minabantur: eratque iis et tua invisa voluntas, et mea oratio. Nunc vero, si essent nostri potiti, valde intemperantes fuissent. Erant enim nobis perirati, quasi quidquam de nostra salute decrevissemus, quod non idem illis censuissemus: aut quasi utilius reipublicæ fuerit, eos etiam ad bestiarum auxilium confugere, quam vel emori, vel cum spe, si non optima, at aliqua tamen vivere. At in perturbata republica vivimus. Quis negat? Sed hoc viderint ii, qui nulla sibi subsidia ad omnes vitæ status paraverunt. Huc enim ut venirem, superior longius, quam volui, fluxit oratio. Cum enim te semper magnum hominem duxi: tum quod his tempestatibus es prope solus in portu, fructusque doctrinæ percipis eos, qui maximi sunt, ut ea consideres, eaque tractes, quorum et usus, et delectatio est omnibus istorum et actis, et voluptatibus anteponenda. Equidem hos tuos Tusculanenses dies instar esse vitæ puto: libenterque omnibus omnes opes concesserim, ut mihi liceat, vi nulla interpellante, istomodo vivere. Quod nos quoque imitamur, ut possumus, et in nostris studiis libentissime conquiescimus. Quis enim hoc non dederit nobis, ut, cùm opera nostrâ patria sive non possit uti, sive nolit, ad eam vitam revertamur, quum multi docti homines, fortasse non recte, sed tamen multi, etiam reipublicæ præponendam putaverunt? Quæ igitur studia magnorum hominum sententia vacationem habent etiam publici muneris, iis, concedente republica, cur non abutamur? Sed plus facio, quam Caninius mandavit. Is enim, si quid ego scirem, rogarat, quod tu nescires: ego tibi ea narro, quæ tu melius scis, quam ipse, qui nar-

ro. Faciam ergo illud, quod rogatus sum, ut eorum, quæ temporis hujus sint, quæve audiero, ne quid ignores.

24. CICERO VARRONI.—Etsi munus flagitare, quamvis quis ostenderet, ne populus quidem solet, nisi concitatus: tamen ego expectatione promissi tui moveor, ut admoneam te, non ut flagitem. Misi autem ad te quatuor admonitores non nimis verecundos. Nosti enim profecto os ejus adolescentioris Academiæ. Ex ea igitur media excitatos misi, qui metuo ne te fortè flagitent: ego autem mandavi, ut rogarent. Expectabam omnino jamdiu, meque sustinebam, ne ad te prius ipse quid scriberem, quam aliquid accepissem, ut possem te remunerari quam simillimo munere Sed, cum tu tardius faceres, id est, ut ego interpretor diligentius, teneri non potui, quin conjunctionem studiorum amorisque nostri, quo possem, literarum genere declararem. Feci igitur sermonem inter nos habitum in Cumano, cum esset unà Pomponius: tibi dedi partes Antiochinas, quas a te probari intellexisse mihi videbar: mihi sumpsi Philonis. Puto fore, ut, cum legeris, mirere, nos id locutos esse inter nos, quod nunquam locuti sumus: sed nosti morem dialogorum. Post hàec autem, mi Varro, quam plurima. si videtur, et de nobis inter nos: sero fortasse: sed superiorum temporum fortuna reipublicæ causam sustineat. Hæc ipsi præstare debemus. Atque utinam quietis temporibus, atque aliquo, si non bono, at saltem certo statu civitatis, hæc inter nos studia exercere possemus. Quanquam tum quidem vel aliæ quæpiam rationes honestas nobis et curas et actiones darent: nunc autem quid est, sine his cur vivere velimus? Mihi vero cum his ipsis vix: his autem detractis, ne vix quidem. Sed hæc coram, et sæpius. Migrationem et emptionem feliciter evenire volo, tuumque in ea re consilium probo. Cura ut valeas.

25. CICERO PÆTO S.—Duabus tuis epistolis respondebo: uni, quam triduo ante acceperam a Zetho: alteri, quam attulerat Phileros tabellarius. Ex prioribus tuis literis intellexi, pergratam tibi esse curam

meam valetudinis tuæ: quam tibi perspectam esse gaudeo. Sed, mihi crede, non perinde, ut est reapse, ex literis perspicere potuisti. Nam cum a satis multis (non enim possum aliter dicere) et coli me videam, et diligi; nemo est illorum omnium mihi te jucundior. Nam quod me amas, quod id et jampridem et constanter facis, est id quidem magnum, atque haud scio an maximum: sed tibi commune cum multis. Quod tu ipse tam amandus es, tamque dulcis, tamque in omni genere jucundus, id est propriè tuum. Accedunt non Attici, sed salsiores quam illi Atticorum, Romani veteres atque urbani sales. Ego autem (existimes licet quod lubet) mirifice capior facetiis, maxime nostratibus, præsertim cum eas videam primum oblitas Latio tum, cum in urbem nostram est infusa peregrinitas, nunc vero etiam braccatis et transalpinis nationibus, ut nullum veteris leporis vestigium appareat. Itaque te cum video, omnes mihi Granios, omnes Lucilios, (vere ut dicam) Crassos quoque, et Lælios videre videor. Moriar, si præter te quemquam reliquum habeo, in quo possim imaginem antiquæ et vernaculæ festivitatis agnoscere. Ad hos lepores cum amor erga me tantus accedat, miraris, me tanta perturbatione valetudinis tuæ tam graviter exanimatum fuisse? Quod autem altera epistola purgas te, non dissuasorem mihi emptionis Neapolitanæ fuisse, sed auctorem commorationis urbanæ; neque ego aliter accepi. Intellexi tamen idem, quod his intelligo literis, non existimasse te mihi licere, id quod ego arbitrabar, res has non omnino quidem, sed magnam partem relinquere. Catulum mihi narras, et illa tempora. Quid simile? Ne mihi quidem ipsi tunc placebat diutius abesse ab reipublicæ custodia. Sedebamus enim in puppi, et clavum tenebamus: nunc autem vix est in sentina locus. An minus multa senatus-consulta futura putas, si ego sim Neapoli? Romæ cum sum, et urgeo forum, senatus-consulta scribuntur apud amatorem tuum, familiarem meum, Et quidem, cum in mentem venit, ponor ad scribendum: et ante audio senatus-consultum

in Armeniam et Syriam esse perlatum, quod in meam sententiam factum esse dicatur, quam omnino mentionem ullam de ea re esse factam. Atque hoc nolim me jocari putes. Nam mihi scito jam a regibus ultimis allatas esse literas, quibus mihi gratias agant, quod se mea sententia reges appellaverim: quos ego non modo reges appellatos, sed omnino natos nesciebam. Quid ergo est? Tamen quamdiu hîc erit noster hic præfectus moribus, parebo auctoritati tuæ. Cum vero aberit, ad fungos me tuos conferam. Domum si habebo, in denos dies, singulos sumptuariæ legis dies conferam. Sin autem minus invenero, quod placeat, decrevi habitare apud te. Scio enim me nihil tibi gratius facere posse. Domum Syllanam desperabam jam, ut tibi proxime scripsi: sed tamen non abjeci. Tu velim, ut scribis, cum fabris eam perspicias. Si enim nihil est in parietibus aut in tecto vitii, cætera mihi probabuntur. Vale.

26. Cicero Attico Sal.—Quod ad te scripseram me in Epiro futurum; postea quam extenuari spem nostram, et evanescere vidi, mutavi consilium: nec me Thessalonica commovi, ubi esse statueram, quoad aliquid ad me de eo scriberes, quod proximis literis scripseras, fore uti secundum comitia aliquid de nobis in Senatu ageretur; id tibi Pompeium dixisse. Qua de re, quoniam comitia habita sunt, tuque nihil ad me scribis; proinde habebo ac si scripsisses nihil esse; neque temporis non longinqui spe ductum esse moleste feram. Quem autem motum te videre scripseras, qui nobis utilis fore videretur, eum nuntiant, qui veniunt, nullum fore. In Tribunis plebis designatis reliqua spes est: quam si expectâro, non erit, quod putes me causæ meæ, ac voluntati meorum defuisse. Quod me sæpe accusas, cur hunc meum casum tam graviter feram, debes ignoscere, cum ita me afflictum videas, ut neminem unquam nec videris, nec audieris. Nam quod scribis te audire, me etiam mentis errore ex dolore affici: mihi vero mens integra est; atque utinam tam in periculo fuisset, cum ego iis, quibus

meam salutem carissimam esse arbitrabar, inimicissimis crudelissimisque usus sum: qui, ut me paululum inclinari timore viderunt, sic impulerunt, ut omni suo scelere et perfidia abuterentur ad exitium meum. Nunc, quoniam est Cyzicum nobis eundum, quo rarius ad me literæ perferentur, hoc velim diligentius omnia, quæ putaris me scire opus esse, perscribas. Q. fratrem meum fac diligas: quem ego miser si incolumem relinquo, non me totum periisse arbitrabor. Dat. non. Sext.

27. Cicero Attico Sal.—Nunc, Pomponi, quoniam nihil impertîsti tuæ prudentiæ ad salutem meam, quòd aut in me ipso satis esse consilii decrêras, aut te nihil plus mihi debere, quam ut præsto esses; quoniamque ego proditus, inductus, conjectus in fraudem, omnia mea præsidia neglexi; totam Italiam, in me erectam ad me defendendum, destitui et reliqui; me, meos meis tradidi inimicis, inspectante et tacente te; qui si non plus ingenio valebas quam ego, certe timebas minus: si potes, erige afflictos, et in eo nos juva: sin omnia sunt obstructa, id ipsum fac ut sciamus: et nos aliquando aut objurgare, aut comiter consolari desine. Ego si tuam fidem accusarem, non me potissimum tuis tectis crederem: meam amentiam accuso, quod a te tantum amari, quantum ego vellem, putavi: quod si fuisset, fidem eandem, curam majorem adhibuisses; me certe ad exitium præcipitantem retinuisses; istos labores, quos nunc in naufragiis nostris suscipis, non subîsses. Quare fac, ut omnia ad me perspecta et explorata perscribas; meque, ut facis, velis esse aliquem; quoniam qui fui, et qui esse potui, jam esse non possum; et ut his literis non te, sed me ipsum a me esse accusatum putes. Si qui erunt, quibus putes opus esse meo nomine literas dari, velim conscribas, curesque dandas. Dat. XIV. kal. Sept.

28. Cicero S. D. Q. Cæcilio Q. F. Pomponiano Attico.—Quod quidem ita esse, et avunculum tuum functum esse officio, vehementissime probo: gaudere me tum dicam, si mihi hoc verbo licebit uti. Me

miserum, quàm omnia essent ex sententia, si nobis animus, si consilium, si fides eorum, quibus credidimus, non defuisset: quæ colligere nolo, ne augeam mœrorem. Sed tibi venire in mentem certe scio, quæ vita esset nostra, quæ suavitas, quæ dignitas. Ad quæ recuperanda per fortunas incumbe, ut facis, diemque natalem reditûs mei cura ut in tuis ædibus amœnissimis agam tecum, et cum meis. Ego huic spei et expectationi, quæ nobis proponitur, maxime tamen volui præstolari apud te in Epiro: sed ita ad me scribitur, ut putem esse commodius nos eisdem in locis esse. De domo et Curionis oratione, ut scribis, ita est. In universa salute, si ea modo nobis restituetur, inerunt omnia; èx quibus nihil malo, quam domum. Sed tibi nihil mando nominatim: totum me tuo amori, fideique commendo. Quod te in tanta hereditate ab omni occupatione expedisti, valde mihi gratum est. Quòd facultates tuas ad meam salutem polliceris, ut omnibus rebus a te præter cæteros juver, id quantum sit præsidium video; intelligoque te multas partes meæ salutis et suscipere, et posse sustinere: neque, ut ita facias, rogandum esse. Quod me vetas quicquam suspicari accidisse ad animum tuum, quod secus a me erga te commissum, aut prætermissum videretur, geram tibi morem, et liberabor ista cura: tibi tamen eò plus debebo, quò tua in me humanitas fuerit excelsior, quam in te mea. Velim, quid videas, quid intelligas, quid agatur ad me scribas: tuosque omnes ad nostram salutem adhortere. Rogatio Sexti neque dignitatis satis habet, nec cautionis. Nam et nominatim ferre oportet, et de bonis diligentius scribi: et id animadvertas velim. Dat IV. non. Oct. Thessalonicæ.

M. T. CICERONIS

CATO MAJOR,

SEU DE SENECTUTE DIALOGUS.

AD TITUM POMPONIUM ATTICUM.

I. O Tite,

> Si quid ego adjuero, curamve levasso,
> Quæ nunc te coquit et versat in pectore fixa,
> Ecquid erit pretii?

Licet enim versibus iisdem mihi affari te, Attice, quibus affatur Flamininum

> Ille vir haud magna cum re, sed plenus fidei.

Quamquam certo scio, non, ut Flamininum,

> Sollicitari te, Tite, sic noctesque diesque.

Novi enim moderationem animi tui et æquitatem: teque non cognomen solum Athenis deportasse, sed humanitatem et prudentiam intelligo. Et tamen suspicor iisdem rebus te, quibus meipsum, interdum gravius commoveri: quarum consolatio et major est, et in aliud tempus differenda. Nunc autem mihi visum est de senectute aliquid ad te conscribere. Hoc enim onere, quod mihi tecum commune est, aut jam urgentis, aut certe adventantis senectutis, et te, et meipsum levari volo. Etsi te quidem id modicè ac sapienter (sicut omnia) et ferre, et laturum esse certò

scio. Sed mihi, cum de senectute aliquid vellem scribere, tu occurrebas dignus eo munere, quo uterque nostrum communiter uteretur. Mihi quidem ita jucunda hujus libri confectio fuit, ut non modo omnes absterserit senectutis molestias, sed effecerit mollem etiam et jucundam senectutem. Nunquam igitur satis laudari digne poterit philosophia, cui qui pareat, omne tempus ætatis sine molestia possit degere. Sed de cæteris et diximus multa, et sæpe dicemus. Hunc librum de senectute ad te misimus. Omnem autem sermonem tribuimus non Tithono, ut Aristo Chius, ne parum esset auctoritati in fabula: sed M. Catoni seni, quo majorem auctoritatem haberet oratio. Apud quem Lælium, et Scipionem facimus admirantes, quod is tam facile senectutem ferat, iisque eum respondentem. Qui si eruditius videbitur disputare, quàm consuevit ipse in suis libris, attribuito Græcis litteris, quarum constat eum perstudiosum fuisse in senectute. Sed quid opus est plura? Jam enim ipsius Catonis sermo explicabit nostram omnem de senectute sententiam.

II. Scip. Sæpenumero admirari soleo cum hoc C. Lælio, tum cæterarum rerum tuam excellentem, M. Cato, perfectamque sapientiam, tum vel maximè, quod nunquam senectutem tibi gravem esse senserim: quæ plerisque senibus sic odiosa est, ut onus se Ætna gravius dicant sustinere. Cat. Rem haud sane difficilem, Scipio, et Læli, admirari videmini. Quibus enim nihil opis est in ipsis ad benè beatèque vivendum, iis omnis gravis est ætas: qui autem omnia bona à seipsis petunt, iis nihil potest malum videri, quod naturæ necessitas afferat. Quo in genere in primis est senectus, quam ut adipiscantur omnes optant; eamdem accusant adepti: tanta est inconstantia stultitiæ, atque perversitas. Obrepere aiunt eam citius, quàm putassent. Primum, quis coëgit eos falsum putare? Quî enim citius adolescentiæ senectus, quam pueritiæ adolescentia obrepit? Deinde, quî minus gravis esset iis senectus, si octingentesimum annum

agerent, quam octogesimum? Præterita enim ætas, quamvis longa, cum effluxisset, nul'a consolatione permulcere posset stultam senectutem. Quocirca si sapientiam meam admirari soletis (quæ utinam digna esset opinione vestrâ, nostroque cognomine!) in hoc sumus sapientes, quod naturam optimam ducem, tanquam deum, sequimur, eique paremus: à qua non verisimile est, cum cæteræ partes ætatis bene descriptæ sint, extremum actum, tanquam ab inerti poëta, esse neglectum. Sed tamen necesse fuit esse aliquid extremum, et tanquam in arborum baccis terræque frugibus maturitate tempestivâ, quasi vietum et caducum: quod ferendum est molliter sapienti. Quid enim est aliud, gigantum modo bellare cum diis, nisi naturæ repugnare? LÆL. Atqui, Cato, gratissimum nobis, ut etiam pro Scipione pollicear, feceris, si quoniam speramus (volumus quidem certe) senes fieri, ante multo à te didicerimus, quibus facillime rationibus ingravescentem ætatem ferre possimus. CAT. Faciam vero, Læli; præsertim si utrique vestrum gratum, ut dicis, futurum est. SCIP. Volumus sane, nisi molestum est, Cato, tanquam aliquam viam longam confeceris, quam nobis quoque ingrediendum sit, istud, quo pervenisti, videre, quale sit.

III. CAT. Faciam, ut potero, Læli. Sæpe enim interfui querelis meorum æqualium, *pares autem cum paribus*, veteri proverbio, *facillime congregantur*, quæ C. Salinator, quæ Sp. Albinus, homines consulares, nostri fere æquales, deplorare solebant. Tum quod voluptatibus carerent, sine quibus vitam nullam putarent; tum quod spernerentur ab iis, à quibus essent coli soliti. Qui mihi non id videbantur accusare, quod esset accusandum. Nam si id culpâ senectutis accideret, eadem mihi usu evenirent, reliquisque omnibus majoribus natu; quorum ego multorum cognovi senectutem sine querela: qui se et libidinum vinculis laxatos esse non molestè ferrent, nec à suis despicerentur. Sed omnium istiusmodi querelarum in moribus est culpa, non in ætate. Moderati enim,

et nec difficiles, nec inhumani senes tolerabilem agunt senectutem. Importunitas autem et inhumanitas omni ætati molesta est. LÆL. Est, ut dicis, Cato. Sed fortasse dixerit quispiam, tibi propter opes et copias et dignitatem tuam, tolerabiliorem senectutem videri: id autem non posse multis contingere. CAT. Est istud quidem, Læli, aliquid, sed nequaquam in isto sunt omnia: ut Themistocles fertur Seriphio cuidam in jurgio respondisse, cum ille dixisset, non eum suâ sed patriæ gloriâ splendorem assecutum: nec hercule, inquit, si ègo Seriphius essem, nobilis; nec tu, si Atheniensis esses, clarus unquam fuisses. Quod eodem modo de senectute potest dici. Neque enim in summa inopia levis esse senectus potest, ne sapienti quidem; nec insipienti etiam in summa copia non gravis. Aptissima omnino sunt, Scipio, et Læli, arma senectutis, artes exercitationesque virtutum, quæ in omni ætate cultæ, cum multum diuque vixeris, mirificos efferunt fructus, non solum quia nunquam deserunt, ne in extremo quidem tempore ætatis (quamquam id maximum est) verum etiam, quia consciéntia bene actæ vitæ, multorumque benefactorum recordatio jucundissima est.

IV. Ego Q. Maximum eum, qui Tarentum recepit, adolescens ita dilexi senem, ut æqualem. Erat enim in illo viro comitate condita gravitas, nec senectus mores mutaverat. Quamquam eum colere cœpi non admodum grandem natu, sed tamen jam ætate provectum. Anno enim post consul primum fuerat, quam ego natus sum; cumque eo quartum consule adolescentulus miles profectus sum ad Capuam, quintoque anno post ad Tarentum quæstor, deinde ædilis, quadriennio post factus sum prætor: quem magistratum gessi consulibus Tuditano et Cethego, cum quidem ille admodum senex, suasor legis Cinciæ de donis et muneribus fuit. Hic et bella gerebat, ut adolescens, cum planè grandis esset; et Annibalem juveniliter exultantem patientiâ suâ molliebat: de quo præclare familiaris noster Ennius:

Unus qui nobis cunctando restituit rem.
Non ponebat enim rumores ante salutem.
Ergo magis magisque viri nunc gloria claret.

Tarentum vero quâ vigilantiâ, quo consilio recepit? cum quidem, me audiente, Salinatori, qui amisso oppido fugerat in arcem, glorianti atque ita dicenti: meâ operâ, Q. Fabi, Tarentum recepisti: *certe*, inquit ridens; *nam, nisi tu amisisses, nunquam recepissem.* Nec vero in armis præstantior, quam in toga: qui consul iterum, Sp. Carvilio collega quiescente, C. Flaminio tribuno pleb. quoad potuit restitit, agrum Picentem et Gallicum viritim contra senatus auctoritatem dividenti. Augurque cum esset, dicere ausus est, optimis auspitiis ea geri, quæ pro reip. salute gererentur: quæ contra remp. ferrentur, contra auspicia ferri. Multa in eo viro præclara cognovi, sed nihil est admirabilius, quàm quomodo ille mortem M. filii tulit, clari viri et consularis. Est in manibus laudatio, quam cum legimus, quem philosophum non contemnimus? Nec vero ille in luce modo, atque in oculis civium magnus; sed intus domique præstantior. Qui sermo? quæ præcepta? quanta notitia antiquitatis? Quæ scientia juris augurii? multæ etiam, ut in homine Romano, litteræ. Omnia memoriâ tenebat, non domestica solum, sed etiam externa bella: cujus sermone ita tum cupide fruebar, quasi jam divinarem id quod evenit, illo extincto fore unde discerem neminem.

V. Quorsum igitur hæc tam multa de Maximo? quia profecto videtis, nefas esse dictu, miseram fuisse talem senectutem. Nec tamen omnes possunt esse Scipiones, aut Maximi, ut urbium expugnationes, ut pedestres navalesve pugnas, ut bella à se gesta, ut triumphos recordentur. Est etiam quietè, et purè, et eleganter actæ ætatis placida ac lenis senectus, qualem accepimus Platonis, qui uno et octogesimo anno scribens mortuus est. Qualem Isocratis, qui eum librum, qui Panathenaicus inscribitur, quarto et nonagesimo anno scripsisse dicitur, vixitque quin-

quennium postea: cujus magister Leontinus Gorgias, centum et septem complevit annos; neque unquam in suo studio atque opere cessavit. Qui cum ex eo quæreretur, cur tamdiu vellet esse in vita? *nihil habeo*, inquit, *quod incusem senectutem*. Præclarum responsum, et docto homine dignum. Sua enim vitia insipientes, et suam culpam in senectutem conferunt. Quod non faciebat is, cujus modo mentionem feci, Ennius,

> Sicut fortis equus, spatio qui sæpe supremo,
> Vicit Olympia, nunc senio confectu, quiescit.

Equi fortis et victoris senectuti comparat suam: quem quidem probè meminisse potestis. Anno enim undevicesimo post ejus mortem, hi consules T Flamininus, et M. Acilius facti sunt: ille autem Cæpione et Philippo iterum consulibus mortuus est: cum ego quidem quinque et sexaginta annos natus, legem Voconiam voce magna et bonis lateribus suasissem. Annos septuaginta natus (tot enim vixit Ennius) ita ferebat duo, quæ maxima putantur onera, paupertatem et senectutem, ut eis pænè delectari videretur. Etenim, cum contemplor animo, reperio quatuor causas, cur senectus misera videatur: unam, quod avocet à rebus gerendis; alteram, quod corpus faciat infirmius; tertiam, quod privet omnibus fere voluptatibus; quartam, quod haud procul absit à morte. Earum, si placet, causarum quanta, quamque sit justa unaquæque videamus.

VI. A rebus gerendis senectus abstrahit? quibus? an iis, quæ in juventute geruntur et viribus? Nullæne igitur res sunt seniles, quæ vel infirmis corporibus, animo tamen administrentur? Nihil ergo agebat Q. Maximus? nihil L. Paulus, pater tuus, Scipio, socer optimi viri, filii mei? cæteri senes, Fabricii, Curii, Coruncanii, cum remp. consilio et auctoritate defendebant, nihil agebant? Ad App. Claudii senectutem accedebat etiam, ut cœcus esset: tamen is, cum sententia senatûs inclinaret ad pacem, et fœdus faci-

endum cum Pyrrho, non dubitavit dicere illa, quæ versibus persecutus est Ennius:

Quò vobis mentes, rectæ quæ stare solebant
Antehac, dementes sese flexere viâ?

Cæteraque gravissimè: notum enim vobis carmen est. Et tamen ipsius Appii extat oratio. Atque hanc ille egit septem et decem annos post alterum consulatum, cum inter duos consulatus anni decem interfluxissent, censorque ante consulatum superiorem fuisset. Ex quo intelligitur, Pyrrhi bello grandem sanè fuisse: et tamen sic à patribus accepimus. Nihil igitur afferunt, qui in re gerenda versari senectutem negant, similesque sunt iis, qui gubernatorem in navigando agere nihil dicant, cum alii malos scandant, alii per foros cursent, alii sentinam exhauriant: ille autem clavum tenens sedeat in puppi quietus. Non facit ea, quæ juvenes. At vero multò majora et meliora facit. Non viribus, aut velocitatibus, aut celeritate corporum res magnæ geruntur; sed consilio, auctoritate, sententiâ: quibus non modo non orbari, sed etiam augeri senectus solet. Nisi forte ego vobis, qui et miles, et tribunus, et legatus, et consul versatus sum in vario genere bellorum, cessare nunc videor, cum bella non gero. At senatui quæ sunt gerenda præscribo, et quomodo: Chartagini male jam diu cogitanti bellum multo ante denuntio: de qua vereri non ante desinam, quàm illam excisam esse cognovero. Quam palmam utinam dii immortales tibi, Scipio, reservent, ut avi reliquias persequare! cujus à morte hic tertius et tricesimus est annus: sed memoriam illius viri excipient omnes anni consequentes. Anno ante me censorem mortuus est, novem annis post meum consulatum, cum consul iterum, me consule, creatus esset. Num igitur, si ad centesimum annum vixisset, senectutis eum suæ pœniteret? nec enim excursione, nec saltu, nec eminus hastis, aut cominus gladiis uteretur; sed consilio, ratione, sententiâ. Quæ nisi essent in senibus, non summum consilium majores nostri

appellassent *Senatum.* Apud Lacedæmonios quidem ii, qui amplissimum magistratum gerunt, ut sunt, sic etiam nominantur senes. Quòd si legere, aut audire voletis externa, maximas resp. ab adolescentibus labefactas, à senibus sustentatas, et restitutas reperietis.

Cedo, qui vestram rempublicam tantam amisistis tam cito?

Sic enim percontanti, ut est in Nævii poëtæ ludo, respondentur et alia, et hæc in primis:

Proveniebant oratores novi, stulti, adolescentuli.

Temeritas est videlicet florentis ætatis; prudentia senescentis.

VII. At memoria minuitur. Credo, nisi eam exerceas, aut si sis natura tardior. Themistocles omnium civium nomina perceperat. Num igitur censetis eum, cum ætate processisset, qui Aristides esset Lysimachum salutare solitum? Equidem non modo eos novi, qui sunt; sed eorum patres etiam, et avos Nec sepulcra legens vereor (quod aiunt) ne memoriam perdam: his enim ipsis legendis redeo in memoriam mortuorum. Nec vero quemquam senum audivi oblitum, quo loco thesaurum obruisset. Omnia, quæ curant, meminerunt: vadimonia constituta: qui sibi, quibus ipsi debeant. Quid jurisconsulti? quid pontifices? quid augures? quid philosophi senes? quam multa meminerunt? manent ingenia senibus, modo permaneat studium et industria: nec ea solum in claris et honoratis viris, sed in vita etiam privata, et quieta. Sophocles ad summam senectutem tragœdias fecit: quod propter studium cum rem familiarem negligere videretur, à filiis in judicium vocatus est; ut quemadmodum nostro more male rem gerentibus patribus bonis interdici solet, sic illum, quasi desipientem, à re familiari removerent judices. Tum senex dicitur eam fabulam, quam in manibus habebat, et proximè scripserat, Œdipum Coloneum recitasse judicibus, quæsisseque, num illud carmen desipientis

videretur. Quo recitato, sententiis judicum est liberatus. Num igitur hunc, num Homerum, num Hesiodum, num Simonidem, num Stesichorum, num, quos ante dixi, Isocratem, Gorgiam, num philosophorum principes, Pythagoram, Democritum, num Platonem, num Xenocratem, num postea Zenonem, Cleanthem, aut eum, quem vos etiam Romæ vidistis, Diogenem Stoicum, coëgit in suis studiis obmutescere senectus? an non in omnibus iis studiorum agitatio vitæ æqualis fuit? Age, ut ista divina studia omittamus, possum nominare ex agro Sabino rusticos Romanos vicinos, et familiares meos, quibus absentibus, nunquam fere ulla in agro majora opera fiunt, non serendis, non percipiendis, non condendis fructibus. Quamquam in illis minus hoc mirum. Nemo enim est tam senex, qui se annum non putet posse vivere: sed iidem elaborant in eis, quæ sciunt nihil omnino ad se pertinere.

Serit arbores, quæ alteri sæculo prosint.

Ut ait Statius noster in Synephebis. Nec vero dubitet agricola, quamvis senex, quærenti, cui serat, respondere: diis immortalibus, qui me non accipere modo hæc à majoribus voluerunt, sed etiam posteris prodere.

VIII. Meliùs Cæcilius de sene alteri sæculo prospiciente, quam illud:

Ædepol senectus, si nihil quidquam aliud vitii
Apportes tecum, cum advenis; unum id sat est,
Quod diu vivendo, multa, quæ non vult, videt.

Et multa fortasse, quæ vult: atque in ea quidem, quæ non vult, sæpe etiam adolescentia incurrit. Illud vero idem Cæcilius vitiosius:

Tum equidem in senecta hoc deputo miserrimum,
Sentire eâ ætate esse se odiosum alteri.

Jucundum potius, quam odiosum. Ut enim adolescentibus bonâ indole præditis sapientes senes delec-

tantur, leviorque fit eorum senectus, qui à juventute coluntur et diliguntur; sic adolescentes senum præceptis gaudent, quibus ad virtutum studia ducuntur. Nec minus intelligo me vobis, quam vos mihi esse jucundos. Sed videtis, ut senectus non modo languida atque iners non sit, verum etiam sit operosa, et semper agens aliquid et moliens; tale scilicet, quale cujusque studium in superiore vita fuit. Quid, quòd etiam addiscunt aliquid? Ut Solonem versibus gloriantem videmus, qui se quotidie aliquid addiscentem senem fieri dicit: ut ego feci, qui Græcas litteras senex didici. Quas quidem sic avidè arripui, quasi diuturnam sitim explere cupiens, ut ea ipsa mihi nota essent, quibus me nunc exemplis uti videtis. Quod cum fecisse Socratem in fidibus audirem, vellem equidem et illud (discebant enim fidibus antiqui) sed in litteris certè elaboravi.

IX. Nec nunc quidem vires desidero adolescentis (is enim erat locus alter de vitiis senectutis) non plus, quàm adolescens tauri aut elephanti desiderabam. Quod est, eo decet uti: et quidquid agas, agere pro viribus. Quæ enim vox potest esse contemptior, quam Milonis Crotoniatæ? qui, cum jam senex esset, athletasque se in curriculo exercentes videret, adspexisse lacertos suos dicitur, illacrymansque dixisse. *At hi quidem jam mortui sunt.* Non vero tam isti, quam tu ipse, nugator. Neque enim ex te unquam es nobilitatus, sed ex lateribus et lacertis tuis. Nihil Sex. Ælius tale, nihil multis annis ante T. Coruncanius nihil modo P. Crassus; à quibus jura civibus præscribebantur: quorum usque ad extremum spiritum est provecta prudentia. Orator metuo ne languescat senectute. Est enim munus ejus non ingenii solum, sed laterum etiam et virium. Omnino canorum illud in voce splendescit etiam nescio quo pacto in senectute: quod equidem adhuc non amisi, et videtis annos: sed tamen est decorus sermo senis, quietus et remissus, facitque persæpe ipsa sibi audientiam diserti senis compta et mitis oratio. Quòd si ipse exsequi

nequeas, possis tamen Scipioni præcipere et Lælio. Quid enim est jucundius senectute stipata studiis juventutis? An ne eas quidem vires senectuti relinquemus, ut adolescentulos doceat, instituat, ad omne officii munus instruat? quo quidem opere quid potest esse præclarius? Mihi vero Cn. et P. Scipiones, et avi tui duo L. Æmilius, et P. Africanus comitatu nobilium juvenum fortunati videbantur. Nec ulli bonarum artium magistri, non beati putandi, quamvis consenuerint vires, atque defecerint. Etsi ista ipsa defectio virium adolescentiæ vitiis efficitur sæpius, quam senectutis. Libidinosa etenim et intemperans adolescentia effœtum corpus tradit senectuti. Cyrus quidem apud Xenophontem eo sermone, quem moriens habuit, cum admodum senex esset, negat se unquam sensisse, senectutem suam imbecilliorem factam, quàm adolescentia fuisset. Ego L. Metellum memini puer (qui cum quadriennio post alterum consulatum pontifex max. factus esset, viginti et duos annos ei sacerdotio præfuit) ita bonis esse viribus extremo tempore ætatis, ut adolescentiam non requireret. Nihil necesse est mihi de me ipso dicere; quamquam est id quidem senile, ætatique nostræ conceditur.

X. Videtisne, ut apud Homerum sæpissime Nestor de virtutibus suis prædicet? Tertiam enim jam ætatem hominum vivebat; nec erat ei verendum, ne vera de se prædicans, nimis videretur aut insolens, aut loquax. Etenim, ut ait Homerus, ex ejus lingua melle dulcior fluebat oratio, quam ad suavitatem nullis egebat corporis viribus: et tamen dux ille Græciæ nusquam optat, ut Ajacis similes habeat decem, at ut Nestoris: quod si acciderit, non dubitat quin brevi Troja sit peritura. Sed redeo ad me. Quartum annum ago et octogesimum: equidem posse vellem idem gloriari, quod Cyrus: sed tamen hoc queo dicere, non me quidem iis esse viribus, quibus aut miles bello punico, aut quæstor eodem bello, aut consul in Hispania fuerim, aut quadriennio post, cum tribunus militaris depugnavi apud Thermopylas, M.

Acilio Glabrione consule: sed tamen, ut vos videtis, non planè me enervavit, nec afflixit senectus: non curia vires meas desiderat, non rostra, non amici, non clientes, non hospites. Nec enim unquam sum assensus veteri illi laudatoque proverbio, quod monet, maturè fieri senem, si diu velis esse senex. Ego vero me minus diu senem esse mallem, quam esse senem ante, quam essem. Itaque nemo adhuc convenire me voluit, cui fuerim occupatus. At minus habeo virium, quam vestrum utervis. Nec vos quidem T. Pontii centurionis vires habetis. Num idcirco est ille præstantior? Moderatio modo virium adsit, et tantum, quantum potest quisque, nitatur; næ ille non magno desiderio tenebitur virium. Olympiæ per stadium ingressus esse Milo dicitur. cum humeris sustineret bovem vivum. Utrum igitur has corporis, an Pythagoræ tibi malis vires ingenii dari? denique isto bono utare, dum adsit: cum absit, ne requiras. Nisi fortè adolescentes pueritiam, paulum ætate progressi adolescentiam debeant requirere. Cursus est certus ætatis, et una via naturæ, eaque simplex: suaque cuique parti ætatis tempestivitas est data; ut et infirmitas puerorum, et ferocitas juvenum, et gravitas jam constantis ætatis, et senectutis maturitas naturale quiddam habeat, quod suo tempore percipi debeat. Arbitror te audire, Scipio, hospes tuus avitus Masinissa, quæ faciat hodie nonaginta annos natus: cum ingressus iter pedibus sit, in equum omnino non ascendere: cum equo, ex equo non descendere: nullo imbre, nullo frigore adduci, ut capite operto sit: summan in eo esse corporis siccitatem: itaque exsequi omnia regis officia et munera. Potest igitur exercitatio et temperantia etiam senectuti conservare aliquid pristini roboris.

XI. Non sunt in senectute vires? Ne postulantur quidem vires à senectute. Ergo et legibus et institutis vacat ætas nostra muneribus iis, quæ non possunt sine viribus sustineri. Itaque non modo quod non possumus, sed ne quantum possumus quidem,

cogimur. At ita multi sunt imbecilli senes, ut nullum officii, aut omnino vitæ munus exsequi possint. At id quidem non proprium senectutis est vitium; sed commune valetudinis. Quam fuit imbecillus P. Africani filius is, qui te adoptavit? quàm tenui, aut nulli potius valetudine? quod ni ita fuisset, alterum ille extitisset lumen civitatis. Ad paternam enim magnitudinem animi doctrina uberior accesserat. Quid mirum igitur in senibus, si infirmi sunt aliquando, cum ne id quidem adolescentes effugere possint?

Resistendum, Læli et Scipio, senectuti est, ejusque vitia diligentia compensanda sunt. Pugnandum tanquam contra morbum, sic contra senectutem. Habenda ratio valetudinis: utendum exercitationibus modicis: tantum cibi et potionis adhibendum, ut reficiantur vires, non opprimantur. Nec vero corpori soli subveniendum est, sed menti atque animo multo magis. Nam hæc quoque, nisi tanquam lumini oleum instilles, extinguuntur senectute. Et corpora quidem defatigatione et exercitatione ingravescunt; animi autem exercitando levantur. Nam quos ait Cæcilius, *comicos stultos senes*, hos significat credulos, obliviosos, dissolutos: quæ vitia sunt non senectutis, sed inertis, ignavæ, somniculosæ senectutis: ut petulantia, ut libido, magis est adolescentium, quam senum; nec tamen omnium adolescentium, sed non proborum: sic ista senilis stultitia, quæ deliratio appellari solet, senum levium est, non omnium. Quatuor robustos filios, quinque filias, tantam domum, tantas clientelas Appius regebat et senex, et cæcus. Intentum enim animum, tanquam arcum, habebat, nec languescens succumbebat senectuti. Tenebat non modo auctoritatem, sed etiam imperium in suos: metuebant servi, verebantur liberi, carum omnes habebant: vigebat in illa domo patrius mos et disciplina. Ita enim senectus honesta est, si se ipsa defendit, si jus suum retinet, si nemini emancipata est, si usque ad extremum spiritum dominatur in suos.

Ut enim adolescentem, in quo senile aliquid; sic senem, in quo est adolescentis aliquid, probo: quod qui sequitur, corpore senex esse poterit, animo nunquam erit. Septimus mihi *Originum* liber est in manibus: omnia antiquitatis monumenta colligo: causarum illustrium, quascumque defendi, nunc quam maximè conficio orationes: jus augurum, pontificum, civile tracto: multum etiam Græcis litteris utor: Pythagoreorumque more exercendæ memoriæ gratiâ, quid quoque die dixerim, audierim, egerim, commemoro vesperi. Hæ sunt exercitationes ingenii, hæc curricula mentis. In his desudans atque elaborans, corporis vires non magnopere desidero. Adsum amicis: venio in senatum frequens, ultroque affero res multum et diu cogitatas; easque tueor animi, non corporis viribus. Quæ si exsequi nequirem, tamen me lectulus oblectaret meus, ea ipsa cogitantem, quæ jam agere non possem: sed ut possim, facit acta vita. Semper enim in his studiis, laboribusque viventi non intelligitur, quando obrepat senectus. Ita sensim sine sensu ætas senescit, nec subito frangitur, sed diuturnitate extinguitur.

XII. Sequitur tertia vituperatio senectutis, quod eam carere dicunt voluptatibus. O præclarum munus ætatis, siquidem id aufert nobis, quod est in adolescentia vitiosissimum! Accipite enim, optimi adolescentes, veterem orationem Archytæ Tarentini, magni in primis, et præclari viri, quæ mihi tradita est, cùm essem adolescens Tarenti cum Q. Maximo. Nullam capitaliorem pestem, quam corporis voluptatem, hominibus dicebat à natura datam; cujus voluptatis avidæ libidines temerè et effrenatè ad potiundum incitarentur. Hinc patriæ proditiones, hinc rerump. eversiones, hinc cum hostibus clandestina colloquia nasci: nullum denique scelus, nullum malum facinus esse, ad quod suscipiendum non libido voluptatis impelleret: stupra vero et adulteria, et omne tale flagitium nullis aliis illecebris excitari, nisi voluptatis. Cumque homini sive natura, sive quis deus nihil

mente præstabilius dedisset; huic divino muneri ac dono nihil esse tan inimicum, quam voluptatem. Nec enim libidine dominante temperantiæ locum esse, neque omnino in voluptatis regno virtutem posse consistere. Quod quò magis intelligi posset, fingere animo aliquem jubebat, tanta incitatum voluptate corporis, quanta percipi posset maxima. Nemini censebat fore dubium, quin tamdiu, dum ita gauderet, nihil agitare mente, nihil ratione, nihil cogitatione consequi posset. Quo circa nihil esse tam detestabile, tamque pestiferum, quam voluptatem: siquidem ea, cùm major esset atque longior, omne animi lumen extingueret. Hæc cum C. Pontio Samnite, patre ejus, à quo, Claudino prælio, Sp. Postumius et T. Veturius consules superati sunt, locutum Archytam, Nearchus Tarentinus hospes noster, qui in amicitia populi Romani permanserat, se à majoribus natu accepisse dicebat, cum quidem ei sermoni interfuisset Plato Atheniensis; quem Tarentum venisse, L. Camillo, Appio Claudio consulibus reperio. Quorsum hæc? ut intelligatis, si voluptatem aspernari ratione et sapientiâ non possemus, magnam habendam senectuti gratiam, quæ efficeret, ut id non liberet, quod non oporteret. Impedit enim consilium voluptas, rationi inimica est, ac mentis, ut ita dicam, præstingit oculos, nec habet ullum cum virtute commercium. Invitus quidem feci, ut fortissimi viri T. Flaminini fratrem L. Flamininum è senatu ejicerem, septem annis postquam consul fuisset: sed notandam putavi libidinem. Ille enim cum esset consul in Gallia, exoratus in convivio à scorto est, ut securi feriret aliquem eorum, qui in vinculis essent damnati rei capitalis. Hic Tito fratre suo censore, qui proximus ante me fuerat. elapsus est: mihi vero et Flacco neutiquam probari potuit tam flagitiosa et tam perdita libido, quæ cum probro privato conjungeret imperii dedecus.

XIII. Sæpe audivi à majoribus natu, qui se porro pueros à senibus audisse dicebant, mirari solitum C. Fabricium, quod cum apud regem Pyrrhum legatus

esset, audisset à Thessalo Cynea, esse quemdam Athenis, qui se sapientem profiteretur; eumque dicere, omnia, quæ faceremus, ad voluptatem esse referenda: quod ex eo audientes, M. Curium, et T. Coruncanium optare solitos, ut id Samnitibus, ipsique Pyrrho persuaderetur: quò facilius vinci possent, cum se voluptatibus dedissent. Vixerat M. Curius cum P. Decio, qui quinquennio ante eum consulem se pro rep. quarto consulatu devoverat. Norat eumdem Fabricius, norat Coruncanius: qui cum ex sua vita, tum ex ejus, quem dico, P. Decii facto, judicabant esse profecto aliquid naturá pulchrum atque præclarum, quod suâ sponte peteretur, quodque spretâ, et contemptá voluptate optimus quisque sequeretur. Quorsum igitur tam multa de voluptate? Quia non modo vituperatio nulla, sed etiam summa laus senectutis est, quod ea voluptates nullas magnopere desiderat. Caret epulis, exstructisque mensis et frequentibus poculis? caret ergo etiam vinolentia, et cruditate, et insomniis. Sed si aliquid dandum est voluptati, quoniam ejus blanditiis non facile obsistimus (divinè enim Plato *escam malorum* voluptatem appellat, quod eà videlicet homines capiantur, ut hamo pisces) quamquam immoderatis epulis careat senectus, modicis tamen conviviis delectari potest. C. Duillium, M. filium, qui Pœnos classe primus devicerat, redeuntem à cœna senem sæpe videbam puer: delectabatur crebro funali et tibicine, quæ sibi nullo exemplo privatus sumpserat: tantum licentiæ dabat gloria. Sed quid ego alios? Ad meipsum jam revertar. Primum habui semper sodales. Sodalitates autem me quæstore constitutæ sunt, sacris Idæis Magnæ Matris acceptis. Epulabar igitur cum sodalibus omnino modice; sed erat quidam fervor ætatis; qua progrediente, omnia fiunt in dies mitiora. Neque enim ipsorum conviviorum delectationem voluptatibus corporis magis, quàm cœtu amicorum et sermonibus metiebar. Bene enim majores nostri accubationem epularem amicorum, quia vitæ conjunctionem haberet, *convivium* nominarunt: me-

lius, quam Græci, qui hoc idem tum *compotationem*, tum *concœnationem* vocant, ut, quod in eo genere minimum est, id maxime probàre videantur.

XIV. Ego vero propter sermonis delectationem tempestivis quoque conviviis delector, nec cum æqualibus solum, qui pauci admodum restant, sed cum vestra etiam ætate atque vobiscum: habeoque senectuti magnam gratiam, quæ mihi sermonis aviditatem auxit, potionis et cibi sustulit. Quòd si quem etiam ista delectant (ne omnino bellum indixisse videar voluptati, cujus est etiam fortasse quidam naturalis modus) non intelligo, ne in istis quidem voluptatibus ipsis carere sensu senectutem. Me verò et magisteria delectant à majoribus instituta: et is sermo, qui more majorum à summo adhibetur in poculis; et pocula, sicut in symposio Xenophontis, minuta atque rorantia, et refrigeratio æstate, et vicissim aut sol aut ignis hibernus. Quæ quidem in Sabinis etiam persequi soleo, conviviumque vicinorum quotidie compleo, quod ad multam noctem, quam maxime possumus, vario sermonè producimus.

At non est voluptatum tanta quasi titillatio in senibus. Credo: sed ne desideratio quidem. Nihil autem molestum, quod non desideres. Bene Sophocles, cum ex eo quidam jam affecto ætate quæreret, utereturne rebus venereis: dii meliora, inquit: libenter vero istinc, tanquam à domino agresti ac furioso profugi. Cupidis enim rerum talium odiosum et molestum est fortasse carere. Satiatis vero et expletis jucundius est carere, quam frui. Quanquam non caret is, qui non desiderat. Ergo hoc non desiderare, dico esse jucundius, quam frui. Quod si istis ipsis voluptatibus bona ætas fruitur libentius; primum parvulis fruitur rebus, ut diximus: deinde iis, quibus senectus, si non abunde potitur, non omnino caret. Ut Turpione Ambivio magis delectatur, qui in prima cavea spectat, delectatur tamen etiam qui in ultima: sic adolescentia voluptates prope intuens magis fortasse lætatur; sed delectatur etiam senectus procul eas spectans

tantum, quantum sat est. At illa quanti sunt, animum tanquam emeritis stipendiis libidinis, ambitionis, contentionis, inimicitiarum, cupiditatum omnium, secum esse, secumque, ut dicitur, vivere? Si vero habet aliquod tanquam pabulum studii atque doctrinæ, nihil est otiosa senectute jucundius. Mori videbamus in studio dimetiendi pænè cœli atque terræ C. Gallum, familiarem patris tui, Scipio. Quoties illum lux noctu aliquid describere ingressum, quoties nox oppressit, cum mane cœpisset? quam delectabat eum defectiones solis et lunæ, multo nobis ante prædicere? Quid in levioribus studiis, sed tamen acutis? quam gaudebat bello suo Punico Nævius! quam Truculento Plautus! quam Pseudolo! Vidi etiam senem Livium, qui cum sex annos ante, quam ego natus sum, fabulam docuisset, Centone, Tuditanoque consulibus, usque ad adolescentiam meam processit ætate. Quid de P. Licinii Crassi et pontificii et civilis juris studio loquar? aut de hujus P. Scipionis, qui his paucis diebus Pontifex maximus factus est? Atqui eos omnes, quos commemoravi, his studiis flagrantes senes vidimus. M. vero Cethegum, quem rectè *Suadæ medullam* dixit Ennius, quanto studio exerceri in dicendo videbamus, etiam senem? Quæ sunt igitur epularum, aut ludorum, aut scortorum voluptates cum his voluptatibus comparandæ? Atque hæc quidem studia doctrinæ. Quæ quidem prudentibus et bene institutis pariter cum ætate crescunt: ut honestum illud Solonis sit, quod ait versiculo quodam, ut ante dixi, senescere se multa in dies addiscentem: qua voluptate animi nulla certè potest esse major.

XV. Venio nunc ad voluptates agricolarum, quibus ego incredibiliter delector: quæ nec ulla impediuntur senectute, et mihi ad sapientis vitam proxime videntur accedere. Habent enim rationem cum terra, quæ nunquam recusat imperium, nec unquam sine usura reddit, quod accepit; sed alias minore, plerumque majore cum fœnore. Quamquam me quidem non fructus modo, sed etiam ipsius terræ vis ac na-

tura delectat: quæ cum gremio mollito ac subacto semen sparsum excepit, primum id obcœcatum cohibet; ex quo occasio, quæ hoc effecit, nominata est: deinde tepefactum vapore et compressu suo diffundit, et elicit herbescentem ex eo viriditatem: quæ nixa fibris stirpium sensim adolescit, culmoque erecta geniculato, vaginis jam quasi pubescens includitur, è quibus cum emerserit, fundit frugem spici, ordine structam, et contra avium minorum morsus munitur vallo aristarum. Quid ego vitium satûs, ortus, incrementa commemorem? satiari delectatione non possum, ut meæ senectutis requietem oblectamentumque noscatis. Omitto enim vim ipsam omnium, quæ generantur è terra: quæ ex fici tantulo grano, aut ex acino vinaceo, aut ex cæterarum frugum ac stirpium minutissimis seminibus tantos truncos ramosque procreat: malleoli, plantæ, sarmenta, viviradices, propagines, nonne ea efficiunt, ut quemvis cum admiratione delectent? Vitis quidem, quæ naturâ caduca est, et nisi fulta sit, ad terram fertur; eadem, ut se erigat, claviculis suis, quasi manibus, quidquid est nacta, complectitur: quam serpentem multiplici lapsu et erratico ferro amputans coercet ars agricolarum, ne silvescat sarmentis, et in omnes partes nimia fundatur. Itaque ineunte vere in iis, quæ relicta sunt, existit tanquam ad articulos sarmentorum ea, quæ gemma dicitur, à qua oriens uva sese ostendit: quæ et succo terræ, et calore solis augescens primo est peracerba gustatu, deinde maturata dulcescit, vestitaque pampinis, nec modico tepore caret, et nimios solis defendit ardores. Quâ quid potest esse tum fructu lætius, tum adspectu pulchrius? Cujus quidem non utilitas me solùm, ut ante dixi, sed etiam cultura et ipsa natura delectat: adminiculorum ordines, capitum jugatio, religatio et propagatio vitium; sarmentorumque ea, quam dixi, aliorum amputatio, aliorum immissio. Quid ego irrigationes? quid fossiones agri, repastinationesque proferam, quibus fit multo terra fœcundior? Quid de utilitate loquar stercorandi?

Dixi in eo libro, quem de rebus rusticis scripsi: de qua doctus Hesiodus ne verbum quidem fecit, cum de cultura agri scriberet. At Homerus, qui multis, ut mihi, videtur, ante sæculis fuit, Laertem lenientem desiderium, quod capiebat è filio, colentem agrum et eum stercorantem facit. Nec vero segetibus solùm, et pratis, et vineis, et arbustis res rusticæ lætæ sunt, sed etiam hortis et pomariis: tum pecudum pastu, apium examinibus, florum omnium varietate. Nec consitiones modo delectant, sed etiam insitiones: quibus nihil invenit agricultura solertius.

XVI. Possum persequi multa oblectamenta rerum rusticarum: sed ea ipsa, quæ dixi, fuisse sentio longiora. Ignoscetis autem; nam et studio rerum rusticarum provectus sum, et senectus est naturâ loquacior, ne ab omnibus eam vitiis videar vindicare. Ergo in hac vita M. Curius, cum de Samnitibus, de Sabinis, de Pyrrho triumphasset, consumpsit extremum tempus ætatis: cujus quidem villam ego contemplans (abest enim non longe à me) admirari satis non possum vel hominis ipsius continentiam, vel temporum disciplinam. Curio ad focum sedenti magnum auri pondus Samnites cum attulissent, repudiati ab eo sunt. Non enim aurum habere, præclarum sibi videri dixit; sed iis, qui haberent aurum, imperare. Poteratne tantus animus non jucundam efficere senectutem? Sed venio ad agricolas, ne à meipso recedam. In agris erant tum senatores, et iidem senes. Siquidem aranti L. Quintio Cincinnato nuntiatum est, eum dictatorem esse factum: cujus dictatoris jussu magister equitum C. Servilius Ahala Sp. Mælium regnum appetentem, occupatum interemit. A villa in senatum arcessebantur et Curius, et cæteri senes: ex quo, qui eos arcessebant, *viatores* nominati sunt. Num igitur eorum senectus miserabilis fuit, qui se agri cultione oblectabant? Mea quidem sententia haud scio, an ulla vita beatior esse possit; neque solùm officio, quòd hominum generi universo cultura agrorum est salutaris; sed et delectatione, quam dixi, et saturitate copiâque

omnium rerum, quæ ad victum hominum, ad cultum etiam deorum pertinent: ut, quoniam hæc quidam desiderant, in gratiam jam cum voluptate redeamus. Semper enim boni assiduique domini referta cella vinaria, olearia, etiam penaria est, villaque tota locuples est: abundat porco, hædo, agno, gallina, lacte, caseo, melle. Jam hortum ipsi agricolæ succidiam alteram appellant: tum conditiora facit hæc, supervacanei etiam operis aucupium atque venatio. Quid de pratorum viriditate, aut arborum ordinibus, aut vinearum olivetorumque specie dicam? Brevi præcidam. Agro bene culto nil potest esse nec usu uberius, nec specie ornatius: ad quem fruendum non modo non retardat, verum etiam invitat atque allectat senectus. Ubi enim potest illa ætas aut calescere vel apricatione melius, vel igni: aut vicissim umbris aquisve refrigerari salubrius? Sibi igitur habeant arma, sibi equos, sibi hastas, sibi clavam, sibi pilam, sibi natationes et cursus: nobis senibus ex lusionibus multis talos relinquant et tesseras: id ipsum tamen ut lubebit: quoniam sine is beata esse senectus potest.

XVII. Multas ad res perutiles Xenophontis libri sunt: quos legite, quæso, studiosè, ut facitis. Quam copiosè ab eo agricultura laudatur in eo libro, qui est de tuenda re familiari, qui Œconomicus inscribitur? Atque ut intelligatis, nihil ei tam regale videri, quam studium agri colendi, Socrates in eo libro loquitur cum Critobulo, Cyrum minorem, regem Persarum, præstantem ingenio atque imperii gloriâ, cum Lysander Lacedæmonius, vir summæ virtutis, venisset ad eum Sardis, eique dona à sociis attulisset; et cæteris in rebus comem erga Lysandrum atque humanum fuisse, et ei quendam conseptum agrum, diligenter consitum ostendisse. Cum autem admiraretur Lysander et proceritates arborum, et directos in quincuncem ordines, et humum subactam atque puram, et suavitatem odorum, qui afflarentur è floribus; tum eum dixisse, mirari se non modo diligentiam, sed etiam solertiam ejus, à quo essent illa dimensa atque de-

scripta; et ei Cyrum respondisse: Atqui ego omnia ista sum dimensus; mei sunt ordines, mea descriptio; multæ etiam istarum arborum mea manu sunt satæ. Tum Lysandrum intuentem ejus purpuram et nitorem corporis, ornatumque Persicum multo auro multisque gemmis, dixisse: recte vero te, Cyre, beatum ferunt, quoniam virtuti tuæ fortuna conjuncta est. Hac igitur fortuna frui licet senibus: nec ætas impedit, quo minus et cæterarum rerum, et imprimis agri colendi studia teneamus usque ad ultimum tempus senectutis. M. quidem Valerium Corvum accepimus ad centesimum annum perduxisse, cum esset acta jam ætate in agris, eosque coleret; cujus inter primum et sextum consulatum sex et quadraginta anni interfuerunt. Itaque quantum spatium ætatis majores nostri ad senectutis initium esse voluerunt, tantus illi cursus honorum fuit. Atque ejus extrema ætas hoc beatior, quàm media, quòd auctoritatis plus habebat, laboris vero minus. Apex autem senectutis est auctoritas. Quanta fuit in L. Cæcilio Metello? quanta in Attilio Calatino? In quem illud elogium unicum: *plurime consentiunt gentes, populi primarium fuisse virum.* Notum est carmen incisum in sepulchro. Jure igitur gravis, cujus de laudibus omnium esset fama consentiens. Quem virum P. Crassum, nuper pontificem maximum, quem postea M. Lepidum eodem sacerdotio præditum vidimus? Quid de Paulo, aut Africano loquar? aut, ut jam ante, de Maximo? quorum non in sententia solùm, sed etiam in nutu residebat auctoritas. Habet senectus, honorata præsertim, tantam auctoritatem, ut ea pluris sit, quàm omnes adolescentiæ voluptates.

XVIII. Sed in omni oratione mementote, eam me laudare senectutem, quæ fundamentis adolescentiæ constituta sit, ex quo id efficitur quod ego magno quondam cum assensu omnium dixi: Miseram esse senectutem, quæ se oratione defenderet. Non cani, non rugæ repente auctoritatem arripere possunt: sed honestè acta superior ætas fructus capit auctoritatis

extremos. Hæc enim ipsa sunt honorabilia, quæ videntur levia atque communia, salutari, appeti, decedi, assurgi, deduci, reduci, consuli; quæ et apud nos, et in aliis civitatibus, ut quæque optime morata, ita diligentissime observantur. Lysandrum Lacedæmonium, cujus modo mentionem feci, dicere aiunt solitum, Lacedæmone esse honestissimum domicilium senectutis. Nusquam enim tantum tribuitur ætati, nusquam est senectus honoratior. Quin etiam memoriæ proditum est, cum Athenis, ludis, quidam in theatrum grandis natu venisset, in magno consessu locum ei à suis civibus nusquam datum: cum autem ad Lacedæmonios accessisset, qui legati cum essent, in loco certo consederant, consurrexisse omnes, et senem illum sessum recepisse. Quibus cum à cuncto concessu plausus esset multiplex datus, dixisse ex iis quemdam, Athenienses scire, quæ recta essent, sed facere nolle. Multa in nostro collegio præclara: sed hoc, de quo agimus, imprimis, quòd, ut quisque ætate antecedit, ita sententiæ principatum tenet: neque solum honore antecedentibus, sed iis etiam, qui cum imperio sunt, majores natu augures anteponuntur. Quæ sunt igitur voluptates corporis cum auctoritatis præmiis comparandæ? Quibus qui splendidè usi sunt; ii mihi videntur fabulam ætatis peregisse, nec, tanquam inexercitati histriones, in extremo actu corruisse. At sunt morosi, et anxii, et iracundi, et difficiles senes; si quærimus, etiam avari: sed hæc morum vitia sunt, non senectutis. At morositas tamen, et ea vitia, quæ dixi, habent aliquid excusationis, non illius quidem justæ, sed quæ probari posse videatur. Contemni se putant, despici, illudi. Præterea in fragili corpore odiosa omnis offensio est. Quæ tamen omnia dulciora fiunt et moribus bonis et artibus: idque tum in vita, tum in scena intelligi potest ex iis fratribus, qui in Adelphis sunt. Quanta in altero duritas, in altero comitas! sic se res habet. Ut enim non omne vinum, sic non omnis ætas vetustate coacescit. Severitatem in senectute probo, sed eam,

sicut alia, modicam, acerbitatem nullo modo. Avaritia vero senilis quid sibi velit non intelligo. Potest enim quidquam esse absurdius, quàm, quo minus viæ restat, eo plus viatici quærere?

XIX. Quarta restat causa, quæ maximè angere, atque sollicitam habere nostram ætatem videtur, appropinquatio mortis, quæ certè à senectute non potest longe abesse. O miserum senem, qui mortem contemnendam esse in tam longa ætate non viderit! quæ aut planè negligenda est, si omnino extinguit animum; aut etiam optanda, si aliquo eum deducit, ubi sit futurus æternus. Atqui tertium certè nihil inveniri potest. Quid igitur timeam, si aut non miser post mortem, aut beatus etiam futurus sum? Quanquam quis est tam stultus, quamvis sit adolescens, cui sit exploratum, se ad vesperum esse victurum? quin etiam ætas illa multo plures, quàm nostra mortis casus habet. Facilius in morbos incidunt adolescentes; gravius ægrotant; tristius curantur. Itaque pauci veniunt ad senectutem: quod ni ita accideret, melius et prudentius viveretur. Mens enim et ratio et consilium in senibus est: qui si nulli fuissent, nullæ omnino civitates essent. Sed redeo ad mortem impendentem. Quod illud est crimen senectutis, cùm illud videatis cum adolescentia esse commune? Sensi ego cum in optimo filio meo, tum in expectatis ad amplissimam dignitatem fratribus tuis, Scipio, omni ætati mortem esse communem. At sperat adolescens, diu se victurum: quod sperare idem senex non potest. Insipienter sperat. Quid enim stultius, quàm incerta pro certis habere, falsa pro veris? Senex ne quod speret quidem habet. At est eo meliore conditione quàm adolescens, cum id, quod ille sperat, hic jam consecutus est. Ille vult diu vivere: hic diu vixit. Quamquam, ò dii boni! quid est in hominis vita diu? da enim supremum tempus: expectemus Tartessiorum regis ætatem: fuit enim, ut scriptum video, Arganthonius quidam Gadibus, qui octoginta regnavit annos, centum et viginti vixit. Sed mihi ne

diuturnum quidem quidquam videtur, in quo est aliquid extremum. Cum enim id advenit, tunc illud, quod præteriit, effluxit: tantum remanet, quod virtute et rectè factis consecutus sis. Horæ quidem cedunt, et dies, et menses, et anni: nec præteritum tempus unquam revertitur, nec quid sequatur sciri potest. Quod cuique temporis ad vivendum datur, eo debet esse contentus. Neque enim histrioni, ut placeat, peragenda est fabula, modò, in quocumque fuerit actu, probetur: neque sapienti usque ad *Plaudite* vivendum. Breve enim tempus ætatis satis est longum ad benè honestèque vivendum. Sin processeris longius, non magis dolendum est, quàm agricolæ dolent, præteritâ verni temporis suavitate, æstatem autumnumque venisse. Ver enim tanquam adolescentiam significat, ostenditque fructus futuros: reliqua tempora demetendis fructibus et percipiendis accommodata sunt: fructus autem senectutis est, ut sæpe dixi, ante partorum bonorum memoria et copia. Omnia vero, quæ secundum naturam fiunt, sunt habenda in bonis. Quid est autem tam secundum naturam, quàm senibus emori? quod idem contingit adolescentibus adversante et repugnante natura. Itaque adolescentes mori sic mihi videntur, ut cum aquæ multitudine vis flammæ opprimitur: senes autem, sicut sua sponte, nulla adhibita vi, consumptus ignis extinguitur: et quasi poma ex arboribus, si cruda sunt, vi avelluntur; si matura et cocta, decidunt: sic vitam adolescentibus vis aufert, senibus maturitas. Quæ mihi quidem tan jucunda est, ut, quò propius ad mortem accedam, quasi terram videre videar, aliquandoque in portum ex longa navigatione esse venturus.

XX. Omnium ætatum certus est terminus: senectutis autem nullus certus est terminus: rectèque in ea vivitur, quoad munus officii exsequi et tueri possis; et tamen mortem contemnere. Ex quo fit, ut animosior etiam senectus sit, quam adolescentia, et fortior. Hoc illud est, quod Pisistrato tyranno à Solone responsum est: cum illi quærenti, quâ tandem spe fre-

tus, sibi tam audaciter obsisteret: respondisse dicitur senectute. Sed vivendi finis est optimus, cum integra mente cæterisque sensibus, opus ipsa suum eadem, quæ coagmentavit, natura dissolvit. Ut navem, ut ædificium idem destruit facillimè, qui construxit: sic hominem eadem optimè, quæ conglutinavit, natura dissolvit. Jam omnis conglutinatio recens ægre, inveterata facile divellitur. Ita fit, ut illud breve vitæ reliquum nec avidè appetendum senibus, nec sine causa deserendum sit: vetatque Pythagoras injussu imperatoris, id est, dei, de præsidio et statione vitæ decedere. Solonis quidem sapientis elogium est, quo se negat velle suam mortem dolore amicorum et lamentis vacare. Vult, credo, se esse carum suis. Sed haud scio an melius Ennius:

> Nemo me lacrymis decoret, neque funera fletu
> Faxit.

Non censet lugendam esse mortem, quam immortalitas consequatur. Jam sensus morienti si aliquis esse potest, isque ad exiguum tempus, præsertim seni: post mortem quidem sensus aut optandus, aut nullus est. Sed hoc meditatum ab adolescentia debet esse, mortem ut negligamus: sine qua meditatione, tranquillo esse animo nemo potest. Moriendum enim certè est: et id incertum, an eo ipso die. Mortem igitur omnibus horis impendentem timens, qui poterit animo consistere? De qua non ita longa disputatione opus esse videtur, cum recorder, non solum L. Brutum, qui in liberanda patria est interfectus: non duos Decios, qui ad voluntariam mortem cursum equorum incitaverunt: non M. Atilium, qui ad supplicium est profectus, ut fidem hosti datam conservaret: non duos Scipiones, qui iter Pœnis vel corporibus suis obstruere voluerunt: non avum tuum L. Paulum, qui morte luit collegæ in Cannensi ignominia temeritatem: non M. Marcellum, cujus interitum ne crudelissimus quidem hostis honore sepulturæ carere passus est: sed legiones nostras, quod scripsi in Originibus,

in eum sæpe locum profectas alacri animo et erecto, unde se nunquam redituras arbitrarentur. Quod igitur adolescentes, et ii quidem non solum indocti, sed etiam rustici contemnunt, id docti senes extimescent? Omnino, ut mihi quidem videtur, studiorum omnium satietas vitæ facit satietatem. Sunt pueritiæ certa studia: num igitur ea desiderant adolescentes? Sunt et ineuntis adolescentiæ: num ea jam constans requirit ætas, quæ media dicitur? sunt etiam hujus ætatis: ne ea quidem quæruntur à senectute. Sunt extrema quædam studia senectutis: ergo, ut superiorum ætatum studia occidunt, sic occidunt etiam senectutis. Quod cum evenit, satietas vitæ tempus maturum mortis affert.

XXI. Equidem non video, cur, quid ipse sentiam de morte, non audeam vobis dicere: quod eo melius mihi cernere videor, quò ab ea propius absum. Ego vestros patres, P. Scipio, tuque, C. Læli, viros clarissimos, mihique amicissimos vivere arbitror: et eam quidem vitam, quæ est sola vita nominanda. Nam, dum sumus in his inclusi compagibus corporis, munere quodam necessitatis, et gravi opere perfungimur: est enim animus cœlestis ex altissimo domicilio depressus et quasi demersus in terram, locum divinæ naturæ æternitatique contrarium. Sed credo deos immortales sparsisse animos in corpora humana, ut essent, qui terras tuerentur, quique cœlestium ordinem contemplantes, imitarentur eum vitæ modo atque constantia. Nec me solum ratio ac disputatio impulit, ut ita crederem: sed nobilitas etiam summorum Philosophorum et auctoritas. Audiebam Pythagoram, Pythagoreosque, incolas pænè nostros, qui essent Italici philosophi quondam nominati, nunquam dubitasse, quin ex universa mente divina delibatos animos haberemus. Demonstrabantur mihi præterea, quæ Socrates supremo vitæ die de immortalitate animorum disseruisset, is, qui esset omnium sapientissimus oraculo Apollinis judicatus. Quid multa? sic mihi persuasi, sic sentio, cùm tanta celeritas animorum sit, tanta memoria præ-

teritorum, futurorumque prudentia, tot artes, tantæ scientiæ, tot inventa, non posse eam naturam, quæ res eas contineat, esse mortalem. Cumque semper agitetur animus, nec principium motus habeat, quia se ipse moveat, ne finem quidem habiturum esse motûs, quia nunquam se ipse sit relicturus. Et, cum simplex animi natura esset, neque haberet in se quidquam admixtum dispar sui atque dissimile, non posse eum dividi. Quod si non possit, non posse interire. Magnoque esse argumento, homines scire pleraque ante quàm nati sint, quod jam pueri, cum artes difficiles discant, ita celeriter res innumerabiles arripiant, ut eas non tum primum accipere videantur, sed reminisci et recordari. Hæc Plato noster.

XXII. Apud Xenophontem autem moriens Cyrus major hæc dicit. "Nolite arbitrari, ò mihi carissimi filii, me, cum à vobis discessero, nusquam, aut nullum fore; nec enim, dum eram vobiscum, animum meum videbatis: sed eum esse in hoc corpore, ex iis rebus, quas gerebam, intelligebatis. Eumdem igitur esse creditote, etiam si nullum videbitis. Nec vero clarorum vitorum post mortem honores permanerent, si nihil eorum ipsorum animi efficerent, quo diutius memoriam sui teneremus. Mihi quidem nunquam persuaderi potuit, animos, dum in corporibus essent mortalibus, vivere: cum exissent ex iis, emori: nec vero tum animum esse insipientem, cum ex insipienti corpore evasisset; sed cum omni admixtione corporis liberatus, pûrus et integer esse cœpisset, tum esse sapientem. Atque etiam cum hominis natura morte dissolvitur, cæterarum rerum perspicuum est, quo quæque discedant: abeunt enim illuc omnia, unde orta sunt: animus autem solus, nec cum adest, nec cum discedit, apparet. Jam vero videtis, nihil esse morti tam simile, quam somnum. Atqui dormientium animi maxime declarant divinitatem suam. Multa enim, cum remissi et liberi sunt, futura prospiciunt. Ex quo intelligitur, quales futuri sint, cùm se plane corporis vinculis relaxaverint. Quare, si hæc ita

sunt, sic me colitote, ut deum. Sin una est interiturus animus cum corpore, vos tamen deos verentes, qui hanc omnem pulchritudinem tuentur et regunt, memoriam nostri pie inviolateque servabitis." Cyrus quidem hæc moriens. Nos (si placet) nostra videamus.

XXIII. Nemo unquam mihi, Scipio, persuadebit, aut patrem tuum Paulum, aut duos avos, Paulum et Africanum, aut Africani patrem, aut patruum, aut multos præstantes viros, quos enumerare non est necesse, tanta esse conatos, quæ ad posteritatis memoriam pertinerent, nisi animo cernerent, posteritatem ad se pertinere. An censes (ut de me ipso aliquid more senum glorier) me tantos labores diurnos nocturnosque domi militiæque suscepturum fuisse, si iisdem finibus gloriam meam, quibus vitam, essem terminaturus? nonne melius multo fuisset, otiosam ætatem et quietam sine ullo labore et contentione, traducere? Sed, nescio quomodo, animus erigens se, posteritatem semper ita prospiciebat, quasi, cùm excessisset è vita, tum denique victurus esset, quod quidem ni ita se haberet, ut animi immortales essent, haud optimi cujusque animus maxime ad immortalitatis gloriam niteretur. Quid, quod sapientissimus quisque æquissimo animo moritur, stultissimus iniquissimo? Nonne vobis videtur animus is, qui plus cernat et longius, videre se ad meliora proficisci; ille autem, cujus obtusior sit acies, non videre? Equidem efferor studio patres vestros, quos colui et dilexi, videndi, neque vero eos solum convenire aveo, quos ipse cognovi, sed illos etiam, de quibus audivi et legi, et ipse conscripsi. Quo quidem me proficiscentem haud sane quis facile retraxerit, neque tanquam Peliam recoxerit: et si quis deus mihi largiatur, ut ex hac ætate repuerascam, et in cunis vagiam, valde recusem: nec vero velim, quasi decurso spatio, ad carceres à calce revocari. Quid enim habet vita commodi? Quid non potius laboris? Sed habeat sane. Habet certe tamen aut satietatem, aut modum. Non lubet enim mihi

deplorare vitam, quod multi et ii docti sæpe fecerunt, neque me vixisse pœnitet: quoniam ita vixi, ut non frustra me natum existimem: et ex vita ita discedo, tanquam ex hospitio, non tanquam ex domo: commorandi enim natura diversorium nobis, non habitandi dedit. O præclarum diem, cùm ad illud divinum animorum concilium cætumque proficiscar, cumque ex hac turba et colluvione discedam! Proficiscar enim non ad eos solum viros, de quibus ante dixi, sed etiam ad Catonem meum, quo nemo vir melior natus est, nemo pietate præstantior: cujus à me corpus crematum est; quod contra decuit ab illo meum. Animus vero non me deserens, sed respectans, in ea profecto loca discessit, quo mihi ipsi cernebat esse veniendum. Quem ego meum casum fortiter ferre visus sum: non quod æquo animo ferrem; sed me ipse consolabar, existimans, non longinquum inter nos digressum et discessum fore. His mihi rebus, Scipio (id enim te cum Lælio admirari solere dixisti) levis est senectus, nec solum non molesta, sed etiam jucunda. Quod si in hoc erro, quod animos hominum immortàles esse credam, lubenter erro; nec mihi hunc errorem, quo delector, dum vivo, extorqueri volo. Sin mortuus (ut quidam minuti philosophi censent) nihil sentiam, non vereor, ne hunc errorem meum mortui philosophi irrideant. Quod si non sumus immortales futuri, tamen extingui homini suo tempore optabile est. Nam habet natura, ut aliarum omnium rerum, sic vivendi modum. Senectus autem, peractio ætatis est, tanquam fabulæ: cujus defatigationem fugere debemus, præsertim adjuncta satietate. Hæc habui de senectute quæ dicerem; ad quam utinam perveniatis; ut ea, quæ ex me audistis, re experti probare possitis.

C. JULII CÆSARIS
COMMENTARIA DE BELLO CIVILI.

EX LIBRO I.

1. LITTERIS à Fabio C. Cæsaris Consulibus red ditis, ægrè ab iis impetratum est, summa tribunorum plebis contentione, ut in senatu recitarentur. Ut verò ex litteris ad senatum referretur, impetrari non potuit. Referunt consules de repub. (in civitate) L. Lentulus consul senatui, reique pub. se non defuturum pollicetur, si audacter ac fortiter sententias dicere velint: sin Cæsarem respiciant, atque ejus gratiam sequantur, ut superioribus fecerint temporibus, se sibi consilium capturum, neque senatus auctoritati obtemperaturum: habere se quoque ad Cæsaris gratiam atque amicitiam receptum. In eamdem sententiam loquitur Scipio, Pompeio esse in animo, reipublicæ non deesse, si senatus sequatur: sin cunctetur atque agat lenius, nequidquam ejus auxilium, si posteà velit, senatum imploraturum.

2. Hæc Scipionis oratio, quòd senatus in urbe habebatur, Pompeiusque aderat, ex ipsius ore Pompeii mitti videbatur. Dixerat aliquis leniorem sententiam, ut primo M. Marcellus ingressus in eam orationem, non oportere antè de ea re ad senatum referri, quàm delectus tota Italia habiti, et exercitus conscripti essent, quo præsidio, tutò et liberè senatus, quæ vellet

decernere, auderet: ut M. Calidius, qui censebat, ut Pompeius in suas provincias proficisceretur, ne qua esset armorum causa: timere Cæsarem, abreptis ab eo duabus legionibus, ne ad ejus periculum reservare et retinere eas ad urbem Pompeius videretur: ut M. Rufus, qui sententiam Calidii paucis ferè mutatis verbis sequebatur. Hi omnes convicio L. Lentuli consulis correpti exagitabantur. Lentulus sententiam Calidii pronuntiaturum se omnino negavit. Marcellus perterritus conviciis à sua sententia discessit. Sic vocibus Consulis, terrore præsentis exercitus, minis amicorum Pompeii plerique compulsi, inviti et coacti Scipionis sententiam sequuntur: *uti ante certam diem Cæsar exercitum dimittat: si non faciat, eum adversus rempub. facturum videri.* Intercedit M. Antonius, Q. Cassius, tribuni plebis. Refertur confestim de intercessione tribunorum: dicuntur sententiæ graves: ut quisque acerbissimè crudelissimeque dixit, ita quàm maximè ab inimicis Cæsaris collaudatur.

3. Misso ad vesperum senatu, omnes, qui sunt ejus ordinis, à Pompeio evocantur. Laudat Pompeius, atque in posterum confirmat; segniores castigat atque incitat: multi undique ex veteribus Pompeii exercitibus, spe præmiorum atque ordinum evocantur: multi ex duabus legionibus, quæ sunt transditæ à Cæsare, arcessuntur. Completur urbs: ad jus comitiorum tribunus plebis C. Curio evocat. Omnes amici Consulum, necessarii Pompeii, atque eorum, qui veteres inimicitias cum Cæsare gerebant, in senatum coguntur: quorum vocibus et concursu terrentur infirmiores, dubii confirmantur, plerisque verò liberè decernendi potestas eripitur. Pollicetur L. Piso censor sese iturum ad Cæsarem. Item L. Roscius prætor, qui de his rebus eum doceant. Sex dies ad eam rem conficiendam spatii postulant: dicuntur etiam à nonnullis sententiæ, ut legati ad Cæsarem mittantur, qui voluntatem senatus ei proponant.

4. Omnibus his resistitur, omnibusque oratio cons. Scipionis, Catonis opponitur. Catonem veteres ini-

inimicitiæ Cæsaris incitant et dolor repulsæ: Lentulus æris alieni magnitudine, et spe exercitus ac provinciarum, et regum appellandorum largitionibus movetur, seque alterum fore Syllam inter suos gloriatur, ad quem summa imperii redeat. Scipionem eadem spes provinciæ atque exercituum impellit; quos se pro necessitudine partiturum cum Pompeio arbitratur: simul judiciorum metus, adulatio, atque ostentatio sui et potentium, qui in repub. judiciisque tum plurimum pollebant. Ipse Pompeius ab inimicis Cæsaris incitatus, et quòd neminem dignitate secum exæquari volebat, totum se ab ejus amicitia averterat, et cum communibus inimicis in gratiam redierat; quorum ipse maximam partem illo affinitatis tempore adjunxerat Cæsari: simul infamia duarum legionum permotus, quas ab itinere Asiæ, Syriæque ad suam potentiam dominatumque converterat, rem ad arma deduci studebat.

5. His de causis aguntur omnia raptim atque turbate; nec docendi Cæsaris propinquis ejus spatium datur: nec tribunis pleb. sui periculi deprecandi, neque etiam extremi juris intercessionem retinendi, quod L. Sylla reliquerat, facultas tribuitur: sed de sua salute septimo die cogitare coguntur, quòd illi turbulentissimi superioribus temporibus tribuni pleb. octavo denique mense suarum actionum respicere ac timere consueverant. Decurritur ad illud extremum atque ultimum S. C. quo, nisi pœne in ipso urbis incendio atque desperatione omnium salutis, latorum audacia, nunquam antè discessum est; *dent operam consules, prætores, tribuni pleb. quique proconsules sunt ad urbem, ne quid respublica detrimenti capiat.* Hæc S. C. perscribuntur a. d. VIII Id. Januarii. Itaque quinque primis diebus, quibus haberi senatus potuit, qua ex die consulatum iniit Lentulus, biduo excepto comitiali, et de imperio Cæsaris, et de amplissimis viris tribunis plebis gravissimè acerbissimeque decernitur. Profugiunt statim ex urbe tribuni pleb. seseque ad Cæsarem conferunt. Is eo tempore erat Ravennæ.

expectabatque suis lenissimis postulatis responsa, si qua hominum æquitate res ad otium deduci posset.

6. Proximis diebus habetur senatus extra urbem. Pompeius eadem illa, quæ per Scipionem ostenderat, agit: *Senatus virtutem constantiamque collaudat, copias suas exponit, legiones habere sese paratas X. Præterea cognitum compertumque sibi alieno esse animo in Cæsarem milites, neque iis posse persuaderi, uti eum defendant, aut sequantur.* Saltem de reliquis rebus ad senatum refertur: tota Italia delectus habeantur: Faustus Sylla proprætor in Mauritaniam mittatur: pecunia uti ex ærario Pompeio detur. Refertur etiam de rege Juba, ut socius sit atque amicus: Marcellus verò passurum se in præsentia negat. De Fausto impedit Philippus tribunus pleb. De reliquis rebus S. C. perscribuntur: Provinciæ privatis decernuntur: duæ consulares, reliquæ prætoriæ. Scipioni obvenit Syria: L. Domitio Gallia: Philippus, et Marcellus privato consilio prætereuntur, neque eorum sortes dejiciuntur. In reliquas provincias prætores mittuntur: neque expectant, quod superioribus annis acciderat, ut de eorum imperio ad populum feratur: paludatique, votis nuncupatis, exeant. Consules, quod ante id tempus acciderat nunquam, ex urbe proficiscuntur, lictoresque habent in urbe et Capitolio privatim contra omnia vetustatis exempla. Tota Italia delectus habentur, arma imperantur, pecuniæ à municipiis exiguntur, è fanis tolluntur, omnia divina humanaque jura permiscentur.

7. Quibus rebus cognitis, Cæsar apud milites concionatur: *omnium temporum injurias inimicorum in se commemorat, à quibus seductum et depravatum Pompeium queritur, invidia atque obtrectatione laudis suæ, cujus ipse honori, et dignitati semper faverit, adjutorque fuerit. Novum in rep. introductum exemplum queriter, ut tribunitia intercessio armis notaretur atque opprimeretur, quæ superioribus annis armis esset restituta. Syllam, nudata omnibus rebus tribunitia potestate, tamen intercessionem liberam reli-*

quisse: Pompeium, qui amissam restituisse videatur, dona etiam, quæ antè habuerit, ademisse. Quotiescumque sit decretum, darent magistratus operam, ne quid respub. detrimenti caperet (*qua voce, et quo S. C. populus Romanus ad arma sit vocatus*) *factum in perniciosis legibus, in vi tribunitia, in secessione populi, templis locisque editioribus occupatis* (*atque hæc superioris ætatis exempla expiata Saturnini, atque Gracchorum casibus* docet) *quarum rerum illo tempore nihil factum, nec cogitatum quidem. Nulla lex promulgata, non cum populo agi cœptum, nulla secessio facta. Hortatur cujus imperatoris ductu novem annis rempub. felicissimè gesserint, plurimaque prælia secunda fecerint, omnem Galliam, Germaniamque pacaverint, ut ejus existimationem dignitatemque ab inimicis defendant.* Conclamant legionis XIII, quæ aderat, milites (hanc enim initio tumultus evocaverat, reliquæ nondum convenerant) *sese paratos esse imperatoris sui, tribunorumque pleb. injurias defendere.*

8. Cognita militum voluntate, Ariminum cum ea legione proficiscitur, ibique tribunos plebis, qui ad eum confugerant, convenit, reliquas legiones ex hybernis evocat, et subsequi jubet. Eò L. Cæsar adolescens venit, cujus pater Cæsaris erat legatus. Is, reliquo sermone confecto, cujus rei causa venerat, habere se à Pompeio ad eum privati officii mandata demonstrat, *velle Pompeium se Cæsari purgatum, ne ea, quæ reip. causa egerit, in suam contumeliam vertat. Semper se reip. commoda privatis necessitatibus habuisse potiora, Cæsarem quoque pro sua dignitate debere et studium et iracundiam suam reip. dimittere: neque adeò graviter irasci inimicis, ne, cum illis nocere se speret, reip. noceat.* Pauca ejusdem generis addit cum excusatione Pompeii conjuncta. Eadem ferè, atque eisdem rebus prætor Roscius agit cum Cæsare, sibique Pompejum commemorasse demonstrat.

9. Quæ res etsi nihil ad levandas injurias pertinere videbantur; tamen idoneos nactus homines, per quos ea, quæ vellet, ad eum perferrentur, petit ab utroque

quoniam Pompeii mandata ad se detulerint, ne gravventur sua quoque ad eum postulata deferre; si parvo labore magnas controversias tollere, atque omnem Italiam metu liberare possent. *Sibi semper reip. primam fuisse dignitatem, vitaque potiorem: doluisse se, quòd populi Romani beneficium sibi per contumeliam ab inimicis extorqueretur: ereptoque semestri imperio, in urbem retraheretur: cujus absentis rationem haberi proximis comitiis populus jussisset. Tamen hanc jacturam honoris sui reip. causa æquo animo tulisse. Cum litteras ad senatum miserit, ut omnes ab exercitibus discederent, ne id quidem impetravisse. Tota Italia delectus haberi: retineri legiones duas, quæ ab se, simulatione Parthici belli, sint abductæ: civitatem esse in armis. Quonam hæc omnia, nisi ad suam perniciem pertinere? Sed tamen ad omnia se descendere paratum, atque omnia pati reip. causa. Proficiscatur Pompeius in suas provincias, ipsi exercitus dimittant, discedant in Italia omnes ab armis, metus è civitate tollatur, libera comitia, atque omnis resp.* S. P. Q. R. *permittatur. Hæc quò facilius certisque conditionibus fiant, et jurejurando sanciantur, aut ipse propius accedat, aut se patiatur accedere: fore, uti per colloquia omnes controversiæ componantur.*

10. Acceptis mandatis Roscius cum L. Cæsare Capuam pervenit, ibique consules Pompeiumque invenit: postulata Cæsaris renuntiat. Illi, deliberata re, respondent, scriptaque ad eum data per eos remittunt, quorum hæc erat summa: *Cæsar in Galliam reverteretur, Arimino excederet, exercitus dimitteret: quæ si fecisset, Pompeium in Hispanias iturum. Interea quoad fides esse data, Cæsarem facturum, quæ polliceretur, non intermissuros consules, Pompeiumque delectus.*

11. Erat iniqua conditio postulare, ut Cæsar Arimino excederet, atque in provinciam reverteretur. Ipsum et provincias, et legiones alienas tenere: exercitum Cæsaris velle dimitti, delectus habere, polliceri

se in provinciam iturum, neque ante quem diem iturus sit, definire: ut si peracto Cæsaris consulatu Pompeius profectus non esset, nulla tamen mendacii religione obstrictus videretur: tempus vero colloquio non dare, neque accessurum polliceri, magnam pacis desperationem afferebat. Itaque ab Arimino M. Antonium cum cohortibus quinque Arretium mittit. Ipse Arimini cum duabus legionibus subsistit, ibique delectum habere instituit. Pisaurum, Fannum, Anconam singulis cohortibus occupat.

12. Interea certior factus Iguvium Thermum prætorem cohortibus quinque tenere, oppidum munire, omniumque esse Iguvinorum optimam erga se voluntatem, Curionem cum tribus cohortibus, quas Pisauri, et Arimini habebat, mittit: cujus adventu cognito, diffisus municipii voluntate Thermus, cohortes ex urbe educit et profugit: milites in itinere ab eo discedunt, ac domum revertuntur. Curio omnium summa voluntate Iguvium recipit. Quibus rebus cognitis, confisus municipiorum voluntatibus, Cæsar cohortes legionis XIII. ex præsidiis deducit, Auximumque proficiscitur, quod oppidum Actius cohortibus introductis tenebat, delectumque toto Piceno circummissis senatoribus habebat.

13. Adventu Cæsaris cognito, decuriones Auximi ad Actium Varum frequentes conveniunt: docent, *sui judicii rem non esse; neque se, neque reliquos municipes pati posse C. Cæsarem imperatorem bene de rep. meritum, tantis rebus gestis, oppido, mœnibusque prohiberi, proinde habeat rationem posteritatis et periculi sui.* Quorum oratione permotus Actius Varus, præsidium, quod introduxerat, ex oppido educit, ac profugit. Hunc ex primo ordine pauci Cæsaris consecuti milites, consistere cogunt: commissoque prælio, deseritur à suis Varus; nonnulla pars militum domum discedit; reliqui ad Cæsarem perveniunt: atque una cum iis deprehensus L. Pupius primipili centurio adducitur, qui hunc eundem ordinem in exercitu Cn. Pompeii antea duxerat. At Cæsar milites Attianos

collaudat. Pupium dimittit: Auximatibus agit gratias, seque eorum facti memorem fore pollicetur.

14. Quibus rebus Romam nuntiatis, tantus repente terror invasit, ut cum Lentulus consul ad aperiendum ærarium venisset, ad pecuniam Pompeio ex senatusconsulto proferendam, protinus, aperto sanctiore ærario, ex urbe profugeret. Cæsar enim adventare, jam jamque adesse ejus equites falso nuntiabantur. Hunc Marcellus collega et plerique magistratus consecuti sunt. Cn. Pompeius pridie ejus diei ex urbe profectus iter ad legiones habebat, quas à Cæsare acceptas in Apulia hybernorum causa disposuerat: delectus intra urbem intermittuntur: nihil citra Capuam tutum esse omnibus videtur. Capuæ primum sese confirmant et colligunt, delectumque colonorum, qui lege Julia Capuam deducti erant, habere instituunt: gladiatoresque, quos ibi Cæsar in ludo habebat, in forum productos Lentulus libertati confirmat, atque iis equos attribuit, et se sequi jussit: quos postea monitus à suis, quod ea res omnium judicio reprehendebatur, circum familiares conventus Campaniæ, custodiæ causa distribuit.

15. Auximo Cæsar progressus, omnem agrum Picenum percurrit, cunctæ earum regionum præfecturæ libentissimis animis eum recipiunt, exercitumque ejus omnibus rebus juvant. Etiam Cingulo, quod oppidum Labienus constituerat, suaque pecunia exædificaverat, ad eum legati veniunt, quæque imperaverit, se cupidissimè facturos pollicentur. Milites imperat: mittunt. Interea legio duodecima Cæsarem consequitur: cum his duabus Asculum Picenum proficiscitur. Id oppidum Lentulus Spinter decem cohortibus tenebat: qui, Cæsaris adventu cognito, profugit ex oppido, cohortesque secum adducere conatus, à magna parte militum deseritur. Relictus in itinere cum paucis, incidit in Vibullium Rufum, missum à Pompeio in agrum Picenum, confirmandorum hominum causa: à quo factus Vibullius certior, quæ res in Piceno gererentur, milites ab eo accipit, ipsum dimittit. Item ex finitimis

regionibus, quas potest, contrahit cohortes ex delectibus Pompeianis: in iis Camerino fugientem Ulcillem Hirrum cum sex cohortibus, quas ibi in præsidio habuerat, excipit: quibus coactis, XIII efficit, cum iis ad Domitium Ahenobarbum Corfinium magnis itineribus pervenit, Cæsaremque adesse cum legionibus duabus nuntiat. Domitius per se circiter viginti cohortes Alba, ex Marsis, et Pelignis, et finitimis ab regionibus coëgerat.

16. Recepto Asculo, expulsoque Lentulo, Cæsar conquiri milites, qui ab eo discesserant, delectumque institui jubet: ipse unum diem ibi rei frumentariæ causa moratus, Corfinium contendit: eo cum venisset, cohortes quinque præmissæ à Domitio ex oppido, pontem fluminis interrumpebant, qui erat ab oppido millia passuum circiter III. Ibi cum antecursoribus Cæsaris prælio commisso, celeriter Domitiani à ponte repulsi, se in oppidum receperunt, Cæsar legionibus transductis, ad oppidum constitit, juxtaque murum castra posuit.

EX LIBRO III.

1. Cæsar, à superioribus consiliis depulsus, omnem sibi commutandam belli rationem existimavit. Itaque uno tempore præsidiis omnibus deductis, et oppugnatione dimissa, coactoque in unum locum exercitu, concionem apud milites habuit, hortatusque est, *ne ea, quæ accidissent, graviter ferrent, neve his rebus terrerentur, multisque secundis præliis unum adversum, et id mediocre opponerent: habendam fortunæ gratiam, quod Italiam sine aliquo vulnere cepissent: quod duas Hispanias bellicosissimorum hominum peritissimis atque exercitatissimis ducibus pacavissent: quod finitimas frumentariasque provincias in potestatem redegissent: denique recordari debere, qua felicitate inter medias hostium classes, oppletis non solum portubus, sed etiam litoribus, omnes incolumes essent transportati, si non omnia caderent secunda, fortunam*

esse industria sublevandam: quod esset acceptum detrimenti, ejus juri potius, quam suæ culpæ debere tribui: locum se æquum ad dimicandum dedisse, potitum esse hostium castris, expulisse ac superasse pugnantes: sed, sive ipsorum perturbatio, sive error aliquis, sive etiam fortuna partam jam præsentemque victoriam interpellavisset, dandam omnibus operam, ut acceptum incommodum virtute sarciretur: quod si esset factum, detrimentum in bonum verteret, uti ad Gergoviam accidisset, atque ii, qui ante dimicare timuissent, ultro se prælio offerrent.

2. Hac habita concione, nonnullos signiferos ignominia notavit ac loco movit. Exercitui quidem omni tantus incessit ex incommodo dolor, tantumque studium infamiæ sarciendæ, ut nemo aut tribuni aut centurionis imperium desideraret, et sibi quisque etiam pœnæ loco graviores imponeret labores, simulque omnes arderent cupiditate pugnandi: cum superioris etiam ordinis nonnulli oratione permoti, manendum eo loco, et rem prælio committendam existimarent. Contra ea Cæsar neque satis militibus perterritis confidebat, spatiumque interponendum ad recreandos animos putabat, relictisque munitionibus magnopere rei frumentariæ timebat.

3. Itaque nulla interposita mora, sauciorum modo et ægrorum habita ratione, impedimenta omnia silentio prima nocte ex castris Apolloniam præmisit, ac conquiescere ante iter confectum vetuit. His una legio missa præsidio est. His explicitis rebus, duas in castris legiones retinuit, reliquas de quarta vigilia compluribus portis eductas, eodem itinere præmisit, parvoque spatio intermisso, ut et militare institutum servaretur, et quam serissimè ejus profectio cognosceretur, conclamari jussit: statimque egressus, et novissimum agmen consecutus, celeriter è conspectu castrorum discessit. Neque vero Pompeius, cognito consilio ejus, moram ullam ad insequendum intulit: sed eadem spectans, si itinere impeditos et perterritos deprehendere posset, exercitum è castris eduxit, equi-

tatumque præmisit ad novissimum agmen demorandum; neque consequi potuit, quod multum expedito itinere antecesserat Cæsar. Sed cùm ventum esset ad flumen Genusum, quod ripis erat impeditis, consecutus equitatus novissimos prælio detinebat. Huic suos Cæsar equites opposuit, expeditosque antesignanos admiscuit CD, qui tantum profecerunt, ut, equestri prælio commisso, pellerent omnes, compluresque interficerent, ipsi incolumes se ad agmen reciperent.

4. Confecto justo itinere ejus diei, quod proposuerat Cæsar, transductoque exercitu flumen Genusum, veteribus suis in castris contra Asparagium consedit, militesque omnes intra vallum castrorum continuit, equitatumque per causam pabulandi emissum, confestim decumana porta in castra se recipere jussit. Simili ratione Pompeius, confecto ejusdem diei itinere, in suis veteribus castris ad Asparagium consedit: ejusque milites, quod ab opere integris munitionibus vacabant, alii lignandi pabulandique causa longius progrediebantur; alii, quod subito consilium profectionis ceperant, magna parte impedimentorum et sarcinarum relicta, ad hæc repetenda invitati propinquitate superiorum castrorum, depositis in contubernio armis, vallum relinquebant: quibus ad sequendum impeditis, Cæsar, quod fore providerat, meridiano fere tempore, signo profectionis dato, exercitum educit, duplicatoque ejus diei itinere, VIII millia passuum ex eo loco discedit, quod facere Pompeius discessu militum non potuit.

5. Postero die Cæsar, similiter præmissis prima nocte impedimentis, de quarta vigilia ipse egreditur, ut, si qua esset imposita dimicandi necessitas, subitum casum expedito exercitu subiret. Hoc idem reliquis fecit diebus: quibus rebus perfectum est, ut altissimis fluminibus atque impeditissimis itineribus nullum acciperet incommodum. Pompeius enim primi diei mora illata, et reliquorum dierum frustra labore suscepto, cum se magnis itineribus extenderet, et progressos consequi cuperet, quarto die finem sequendi fecit, atque aliud sibi consilium capiendum existimavit.

6. Cæsari ad saucios deponendos, stipendium exercitui dandum, socios confirmandos, præsidium urbibus relinquendum, necesse erat adire Apolloniam. Sed his rebus tantum temporis tribuit, quantum erat properanti necesse: timensque Domitio, ne adventu Pompeii præoccuparetur, ad eum omni celeritate et studio incitatus ferebatur. Totius autem rei consilium his rationibus explicabat, ut si Pompeius eodem contenderet, abductum illum à mari atque ab his copiis, quas Dyrrhachii comparaverat, frumento ac commeatu abstractum, pari conditione belli secum decertare cogeret. Si in Italiam transiret, conjuncto exercitu cum Domitio, per Ilyricum Italiæ subsidio proficisceretur. Sin Apolloniam Oricumque oppugnare, et se omni maritima ora excludere conaretur, obsesso tamen Scipione, necessario illum suis auxilium ferre cogeret. Itaque præmissis nuntiis ad Cn. Domitium, Cæsar scripsit, et quid fieri vellet, ostendit: præsidioque Apolloniæ cohortibus quatuor, Lissi una, tribus Orici relictis, quique erant ex vulneribus ægri, depositis, per Epirum atque Acarnaniam iter facere cœpit. Pompeius quoque de Cæsaris consilio conjectura judicans, ad Scipionem properandum sibi existimabat, si Cæsar iter illo haberet, ut subsidium Scipioni ferret: si ab ora maritima Corcyraque discedere nollet, quod legiones equitatumque ex Italia expectaret, ipse ut omnibus copiis Domitium aggrederetur.

7. His de causis uterque eorum celeritati studebat, et suis ut esset auxilio, et ad opprimendos adversarios, ne occasioni temporis deesset. Sed Cæsarem Apollonia à directo itinere averterat. Pompeius per Candaviam iter in Macedoniam expeditum habebat. Accessit etiam ex improviso aliud incommodum: quod Domitius, qui dies complures castris Scipionis castra collocata habuisset, rei frumentariæ causa ab eo discesserat, et Heracleam (Senticam) quæ est subjecta Candaviæ, iter fecerat, ut ipsa fortuna illum objicere Pompeio videretur. Hæc ad id tempus Cæsar ignorabat. Simul à Pompeio litteris per omnes

provincias civitatesque dimissis, de prælio ad Dyrrhachium facto, latius inflatiusque multo, quam res erat gesta, fama percrebuerat, *pulsum fugere Cæsarem, pœne omnibus copiis amissis.* Hæc itinera infesta reddiderat, hæc civitates nonnullas ab ejus amicitia averterat: quibus accidit rebus, ut plurimis dimissi itineribus, à Cæsare ad Domitium et ab Domitio ad Cæsarem, nulla ratione iter conficere possent. Sed Allobroges, Roscilli, atque Ægi familiares, quos perfugisse ad Pompeium demonstravimus, conspicati in itinere exploratores Domitii, seu pristina sua consuetudine, quod una in Gallia bella gesserant, seu gloria elati, cuncta, ut erant acta, exposuerant, et Cæsaris profectionem, et adventum Pompeii docuerunt: à quibus Domitius certior factus, vix IV horarum spatio antecedens, hostium beneficio periculum vitavit, et ad Eginium, quod est objectum oppositumque Thessaliæ, Cæsari venienti occurrit.

8. Conjuncto exercitu Cæsar Gomphos pervenit, quod est oppidum primum Thessaliæ venientibus ab Epiro, quæ gens paucis ante mensibus ultro ad Cæsarem legatos miserat, ut suis omnibus facultatibus uteretur, præsidiumque ab eo militum petierat: sed eo fama jam præcurrerat, quam supra docuimus, de prælio Dyrrhachino, quod multis auxerat partibus. Itaque Androsthenes prætor Thessaliæ, cum se victoriæ Pompeii comitem esse mallet, quam socium Cæsaris in rebus adversis, omnem ex agris multitudinem servorum ac liberorum in oppidum cogit, portasque præcludit, et ad Scipionem Pompeiumque nuntios mittit, ut sibi subsidio veniant, se confidere munitionibus oppidi, si celeriter succurratur: longinquam oppugnationem sustinere non posse. Scipio, discessu exercituum à Dyrrhachio cognito, Larissam legiones adduxerat. Pompeius nondum Thessaliæ appropinquabat. Cæsar, castris munitis, scalas musculosque ad repentinam oppugnationem fieri et crates parari jussit: quibus rebus effectis, cohortatus milites docuit, *quantum usum haberet ad sublevandam om-*

nium rerum inopiam, potiri oppido pleno atque opulento. Simul reliquis civitatibus hujus urbis exemplo inferre terrorem, et id fieri celeriter, priusquam auxilia concurrerent. Itaque usus singulari militum studio, eodem, quo venerat, die, post horam nonam oppidum altissimis mœnibus oppugnare aggressus, ante solis occasum expugnavit, et ad diripiendum militibus concessit: statimque ab oppido castra movit, et Metropolim venit, sic ut nuntios expugnati oppidi famamque antecederet.

9. Metropolitæ primum eodem usi consilio, iisdem permoti rumoribus, portas clauserunt, murosque armatis compleverunt: sed postea, casu civitatis Gomphensis cognito ex captivis, quos Cæsar ad murum producendos curaverat, portas aperuerunt: quibus diligentissimè conservatis, collata fortuna Metropolitum cum casu Gomphensium, nulla Thessaliæ fuit civitas præter Larissæos, qui magnis exercitibus Scipionis tenebantur, quin Cæsari parerent atque imperata facerent. Ille, segetis idoneum locum in agris nactus, quæ prope jam matura erat, ibi adventum expectare Pompeii, eoque omnem rationem belli conferre constituit.

10. Pompeius paucis post diebus in Thessaliam pervenit, concionatusque apud cunctum exercitum, suis agit gratias. Scipionis milites cohortatur, *ut parta jam victoria, prædæ ac præmiorum velint esse participes:* receptisque omnibus in una castra legionibus, suum cum Scipione honorem partitur, classicumque apud eum cani, et alterum illi jubet prætorium tendi. Auctis copiis Pompeii, duobusque magnis exercitibus conjunctis, pristina omnium confirmatur opinio, et spes victoriæ augetur adeo, ut, quidquid intercedere temporis, id morari reditum in Italiam videretur: et, si quando quid Pompeius tardius aut consideratius faceret, *unius esse negotium diei, sed illum delectari imperio, et consulares prætoriosque servorum habere numero,* dicerent. Jamque inter se palam de præmiis ac sacerdotiis contendebant; in annosque

consulatum definiebant. Alii domos bonaque eorum, qui in castris erant Cæsaris, petebant: magnaque inter eos in consilio fuit controversia, oporteretne L. Hirri, quod is à Pompeio ad Parthos missus esset, proximis comitiis prætoriis absentis rationem haberi: cum ejus necessarii fidem implorarent Pompeii, præstaret quod proficiscenti recepisset, ne per ejus auctoritatem deceptus videretur; reliqui in labore pari ac periculo, ne unus omnes antecederet, recusarent.

11. Jam de sacerdotio Cæsaris Domitius, Scipio, Spintherque Lentulus quotidianis contentionibus ad gravissimas verborum contumelias palam descenderunt: cum Lentulus ætatis honorem ostentaret, Domitius urbanam gratiam dignitatemque jactaret, Scipio affinitate Pompeii confideret. Postulavit etiam L. Afranium proditionis exercitus Actius Rufus apud Pompeium, quod gestum in Hispania diceret: et L. Domitius in consilio dixit, placere sibi, bello confecto, ternas tabellas dari ad judicandum iis, qui ordinis essent senatorii, belloque una cum ipsis interfuissent, sententiasque de singulis ferrent, qui Romæ remansissent, quique intra præsidia Pompeii fuissent, neque operam in re militari præstitissent. Unam fore tabellam, qui liberandos omni periculo censerent; alteram, qui capitis damnarent; tertiam, qui pecuniam multarent. Postremo omnes aut de honoribus suis, aut de præmiis pecuniæ, aut de persequendis inimicitiis agebant; nec, quibus rationibus superare possent, sed quemadmodum uti victoria deberent, cogitabant.

12. Re frumentaria præparata, confirmatisque militibus, et satis longo spatio temporis à Dyrrhachinis præliis intermisso, quod satis perspectum habere militum animum videretur, tentandum Cæsar existimavit, quidnam Pompeius propositi aut voluntatis ad dimicandum haberet. Itaque ex castris exercitum eduxit, aciemque instruxit, primum suis locis, pauloque à castris Pompeii longius; continentibus vero diebus, ut progrederetur à castris suis, collibusque Pompeianis aciem subjiceret quæ res in dies confirmatiorem ejus

exercitum efficiebat. Superius tamen institutum in equitibus, quod demonstravimus, servabat, ut, quoniam numero multis partibus esset inferior, adolescentes atque expeditos ex antesignanis electos milites ad pernicitatem, armis inter equites prœliari juberet, qui quotidiana consuetudine usum quoque ejus generis prœliorum perciperent. His erat rebus effectum, ut equites mille apertioribus etiam locis septem millium Pompeianorum impetum, cum adesset usus, sustinere auderent, neque magnopere eorum multitudine terrerentur. Namque etiam per eos dies prælium secundum equestre fecit, atque unum Allobrogem ex duobus, quos perfugisse ad Pompeium supra docuimus, cum quibusdam interfecit.

13. Pompeius, quia castra in colle habebat, ad infimas radices montis aciem instruebat, semper, ut videbatur, expectans, si iniquis locis Cæsar se subjiceret. Cæsar nulla ratione ad pugnam elici posse Pompeium existimans, hanc sibi commodissimam belli rationem judicavit, uti castra ex eo loco moveret, semperque esset in itineribus: hoc sperans, ut movendis castris, pluribusque adeundis locis, commodiore frumentaria re uteretur; simulque in itinere, ut aliquam occasionem dimicandi nancisceretur, et insolitum ad laborem Pompeii exercitum quotidianis itineribus defatigaret. His constitutis rebus, signo jam profectionis dato, tabernaculisque detensis, animadversum est paulo ante, extra quotidianam consuetudinem longius à vallo esse aciem Pompeii progressam, ut non iniquo loco posse dimicari videretur. Tum Cæsar apud suos, cum jam esset agmen in portis, *differendum est*, inquit, *iter in præsentia nobis, et de prælio cogitandum, sicut semper depoposcimus: animo simus ad dimicandum parati: non facile occasionem postea reperiemus:* confestimque expeditas copias educit.

14. Pompeius quoque, ut postea cognitum est, suorum omnium hortatu statuerat prælio decertare. Namque etiam in consilio superioribus diebus dixerat,

priusquam concurrerent acies, fore ut exercitus Cæsaris pelleretur. Id cum essent plerique admirati: *scio me*, inquit, *pæne incredibilem rem polliceri : sed rationem concilii mei accipite, quo firmiore animo in prælium prodeatis. Persuasi equitibus nostris (idque mihi se facturos confirmaverunt) ut, cum propius sit accessum, dextrum Cæsaris cornu ab latere aperto aggrederentur, ut circumventa ab tergo acie, prius perturbatum exercitum pellerent, quam à nobis telum in hostem jaceretur. Ita sine periculo legionum et pæne sine vulnere bellum conficiemus. Id autem difficile non est, cum tantum equitatu valeamus.* Simul denuntiavit, *ut essent animo parati in posterum ! et quoniam fieret dimicandi potestas, ut sæpe cogitavissent, ne usu manuque reliquorum opinionem fallerent.*

15. Hunc Labienus excepit, et cum Cæsaris copias despiceret, Pompeii consilium summis laudibus efferret: *Noli*, inquit, *existimare, Pompei, hunc esse exercitum, qui Galliam Germaniamque devicerit: omnibus interfuit præliis; neque temere incognitam rem pronuntio: perexigua pars illius exercitus superest, magna pars deperiit, quod accidere tot præliis fuit necesse: multos autumni pestilentia in Italia consumpsit, multi domum discesserunt, multi sunt relicti in continenti. An non exaudistis, ex iis, qui per causam valetudinis remanserunt, cohortes esse Brundisii factas? Hæ copiæ, quas videtis, ex delectibus horum annorum in citeriore Gallia sunt refectæ, et plerique sunt ex coloniis transpadanis. Attamen quod fuit roboris, duobus præliis Dyrrhachinis interiit.* Hæc cum dixisset, juravit, *se, nisi victorem, in castra non reversurum*, reliquosque, ut idem facerent, hortatus est. Hoc laudans Pompeius, idem juravit: nec vero ex reliquis fuit quisquam, qui jurare dubitaret. Hæc cum facta essent in concilio, magna spe et lætitia omnium discessum est: ac jam animo victoriam præcipiebant, quod de re tanta, et à tam perito imperatore nihil frustra confirmari videbatur.

16. Cæsar, cum Pompeii castris appropinquasset,

ad hunc modum aciem ejus instructam animadvertit. Erant in sinistro cornu legiones duæ, transditæ à Cæsare initio dissensionis ex S. C. quarum una prima, altera tertia appellabatur. In eo loco ipse erat Pompeius; mediam aciem Scipio cum legionibus Syriacis tenebat. Ciliciensis legio conjuncta cum cohortibus Hispanis, quas transductas ab Afranio docuimus, in dextro cornu erant collocatæ: has firmissimas se habere Pompeius existimabat: reliquas inter aciem mediam cornuaque interjecerat, numeroque cohortes cx expleverat: hæc erant millia XLV. Evocatorum circiter duo, quæ ex beneficiariis superiorum exercituum, ad eum convenerant; quæ tota acie disperserat: reliquas cohortes VII castris propinquisque castellis præsidio disposuerat: dextrum cornu ejus rivus quidam impeditis ripis muniebat, quam ob causam cunctum equitatum, sagittarios funditoresque omnes in sinistro cornu objecerat.

17. Cæsar superius institutum servans, decimam legionem in dextro cornu, nonam in sinistro collocaverat, tametsi erat Dyrrhachinis præliis vehementer attenuata: et huic sic adjunxit octavam, ut pæne unam ex duabus efficeret, atque alteram alteri præsidio esse jusserat. Cohortes in acie LXXX constitutas habebat, quæ summa erat MXXII. Cohortes duas castris præsidio reliquerat. Sinistro cornu Antonium, dextro P. Syllam, media acie Cn. Domitium proposuerat. Ipse contra Pompeium constitit. Simul his rebus animadversis, quas demonstravimus, timens, ne à multitudine equitum dextrum cornu circumveniretur, celeriter ex tertia acie singulas cohortes detraxit, atque ex his quartam instituit, equitatuique opposuit, et, quid fieri vellet, ostendit; monuitque ejus diei victoriam in earum cohortium virtute constare: simul tertiæ aciei totique exercitui imperavit ne injussu suo concurreret: se, cum id fieri vellet, vexillo signum daturum.

18. Exercitum cum militari more ad pugnam cohortaretur, suaque in eum pepetui temporis officia

prædicaret: in primis commemoravit, *testibus se militibus uti posse, quanto studio pacem petiisset: quæ per Vatinium in colloquiis, quæ per A. Clodium cum Scipione egisset, quibus modis ad Oricum cum Libone de mittendis legatis contendisset, neque se unquam abuti militum sanguine, neque remp. alterutro exercitu privare voluisse.* Hac habita oratione, exposcentibus militibus, et studio pugnæ ardentibus, tuba signum dedit.

19. Erat Crastinus evocatus in exercitu Cæsaris, qui superiore anno apud eum primumpilum in legione decima duxerat, vir singulari virtute: hic, signo dato, *sequimini me*, inquit, *manipularis mei qui fuistis, et vestro imperatori, quam constituistis, operam date. Unum hoc prælium superest, quo confecto, et ille suam dignitatem, et nos nostram libertatem recuperabimus.* Simul respiciens Cæsarem, *faciam*, inquit, *hodie, imperator, ut aut vivo mihi aut mortuo gratias agas.* Hæc cum dixisset, primus ex dextro cornu procurrit, atque eum milites electi circiter cxx voluntarii ejusdem centuriæ sunt prosecuti.

20. Inter duas acies tantum erat relictum spatii, ut satis esset ad concursum utriusque exercitus. Sed Pompeius suis pædixerat, ut Cæsaris impetum exciperent, neve se loco moverent, aciemque ejus distrahi paterentur: idque admonitu C. Triarii fecisse dicebatur, ut primus excursus visque militum infringeretur, aciesque distenderetur, atque in suis ordinibus dispositi, dispersos adorirentur, leviusque casura pila sperabat, in loco retentis militibus, quam si ipsi immissis telis occurrissent: simul fore, ut duplicato cursu, Cæsaris milites exanimarentur, et lassitudine conficerentur: quod nobis quidem nulla ratione factum à Pompeio videtur, propterea quod est quædam animi incitatio atque alacritas naturaliter innata omnibus, quæ studio pugnæ incenditur: hanc non reprimere, sed augere imperatores debent; neque frustra antiquitus institutum est, ut signa undique concinerent:

clamoremque universi tollerent, quibus rebus et hostes terreri, et suos incitari existimaverunt.

21. Sed nostri milites, dato signo, cum infestis pilis procucurissent atque animadvertissent non concurri à Pompeianis, usu periti ac superioribus pugnis exercitati, sua sponte cursum represserunt, et ad medium fere spatium constiterunt, ne consumptis viribus appropinquarent: parvoque intermisso temporis spatio, ac rursus renovato cursu, pila miserunt, celeriterque, ut erat præceptum à Cæsare, gladios strinxerunt: neque vero Pompeiani huic rei defuerunt: nam et tela missa exceperunt, et impetum legionum tulerunt, et ordines conservaverunt: pilisque missis, ad gladios redierunt. Eodem tempore equites à sinistro Pompeii cornu, ut erat imperatum, universi procucurrerunt, omnisque multitudo sagittariorum se profudit, quorum impetum noster equitatus non tulit, sed paulum loco motus cessit, equitesque Pompeiani hoc acrius instare, et se turmatim explicare, aciemque nostram à latere aperto circuire cœperunt. Quod ubi Cæsar animadvertit, quartæ aciei, quam instituerat sex cohortium numero, signum dedit. Illi celeriter procucurrerunt, infestisque signis tanta vi in Pompeii equites impetum fecerunt, ut eorum nemo consisteret, omnesque conversi non solum loco excederent, sed protinus incitati fuga montes altissimos peterent: quibus submotis, omnes sagittarii, funditoresque destituti, inermes sine præsidio, interfecti sunt. Eodem impetu cohortes sinistrum cornu, pugnantibus etiam tum ac resistentibus in acie Pompeianis, circumierunt, eosque à tergo sunt adorti.

22. Eodem tempore tertiam aciem Cæsar, quæ quieta fuerat, et se ad id tempus loco tenuerat, procurrere jussit. Ita cum recentes atque integri defessis sucessissent, alii autem à tergo adorirentur, sustinere Pompeiani non potuerunt, atque universi terga verterunt. Neque vero Cæsarem fefellit, quin ab his cohortibus, quæ contra equitatum in quarta acie collocatæ essent, initium victoriæ oriretur, ut

ipse in cohortandis militibus pronunciaverat. Ab his enim primum equitatus est pulsus: ab iisdem facta cædes sagittariorum atque funditorum: ab iisdem acies Pompeiana à sinistra parte erat circumita, atque initium fugæ factum. Sed Pompeius, ut equitatum suum pulsum vidit, atque eam partem, cui maxime confidebat, perterritam animadvertit, aliis diffisus acie excessit, protinusque se in castra equo contulit, et iis centurionibus, quos in statione ad prætoriam portam posuerat, clare, ut milites exaudirent, *tuemini*, inquit, *castra et defendite diligenter*, *si quid durius acciderit: ego reliquas portas circumeo*, *et castrorum præsidia confirmo.* Hæc cum dixisset, se in prætorium contulit summæ rei diffidens, et tamen eventum expectans.

23. Cæsar Pompeianis ex fuga intra vallum compulsis, nullum spatium perterritis dare oportere existimans, milites cohortatus est, ut beneficio fortunæ uterentur, castraque oppugnarent: qui, etsi magno æstu fatigati (nam ad meridiem res erat perducta) tamen, ad omnem laborem animo parati, imperio paruerunt. Castra à cohortibus, quæ ibi præsidio erant relictæ, industriè defendebantur, multò etiam acrius à Thracibus barbarisque auxiliis. Nam qui acie refugerant milites, et animo perterriti et lassitudine confecti, missis plerique armis signisque militaribus, magis de reliqua fuga, quàm de castrorum defensione cogitabant. Neque verò diutius, qui in vallo constiterant, multitudinem telorum sustinere potuerunt; sed confecti vulneribus locum reliquerunt, protinusque omnes, ducibus usi centurionibus, tribunisque militum, in altissimos montes, qui ad castra pertinebant, confugerunt.

24. In castris Pompeii videre licuit trichilas structas, magnum argenti pondus expositum, recentibus cespitibus tabernacula constrata, L. etiam Lentuli et nonnullorum tabernacula protecta hedera, multaque præterea, quæ nimiam luxuriam et victoriæ fiduciam designarent: ut facilè æstimari posset, nihil eos de

eventu ejus diei timuisse, qui non necessarias conquirerent voluptates: at ii miserrimo ac patientissimo exercitui Cæsaris luxuriem objiciebant, cui semper omnia ad necessarium usum defuissent. Pompeius jam, cum intra vallum nostri versarentur, equum nactus, detractis insignibus imperatoris, decumana porta se ex castris ejecit, protinusque equo citato, Larissam contendit: neque ibi constitit, sed eadem celeritate paucos suorum ex fuga nactus, nocturno itinere non intermisso, comitatu equitum xxx ad mare pervenit, navemque frumentariam conscendit: sæpe, ut dicebatur, querens, tantam se opinionem fefellisse, ut, à quo genere hominum victoriam sperasset, ab eo initio fugæ facto, penè proditus videretur.

25. Cæsar, castris potitus, à militibus contendit, ne, in præda occupati, reliqui negotii gerendi facultatem dimitterent. Qua re impetrata, montem opere circumvenire instituit. Pompeiani, quòd is mons erat sine aqua, diffisi ei loco, relicto monte, universi (juris ejus) Larissam versus se recipere cœperunt. Qua re animadversa, Cæsar copias suas divisit, partemque legionum in castris Pompeii remanere jussit, partem in sua castra remisit, quatuor secum legiones duxit, commodioreque itinere Pompeianis occurrere cœpit: et progressus millia passuum vi aciem instruxit. Qua re animadversa, Pompeiani in quodam monte constiterunt. Hunc montem flumen subluebat. Cæsar, milites cohortatus, etsi totius diei continenti labore erant confecti, noxque jam suberat: tamen munitione flumen à monte seclusit, ne noctu aquari Pompeiani possent. Quo jam perfecto opere, illi de deditione, missis legatis, agere cœperunt: pauci ordinis senatorii, qui se cum iis conjunxerant, nocte fuga salutem petierunt.

26. Cæsar prima luce omnes eos, qui in monte consederant, ex superioribus locis in planitiem descendere, atque arma projicere jussit: quod ubi sine recusatione fecerunt, passisque palmis, projecti ad terram, flentes ab eo salutem petierunt; consolatus con

surgere jussit, et pauca apud eos de lenitate sua locutus, quò minore essent timore, omnes conservavit; militibusque suis commendavit, ne qui eorum violarentur, neu quid sui desiderarent. Hac adhibita diligentia, ex castris sibi legiones alias occurrere, et eas, quas secum duxerat, invicem requiescere atque in castra reverti jussit, eodemque die Larissam pervenit.

27. In eo prælio non amplius ducentos milites desideravit, sed centuriones fortes viros circiter XXX amisit. Interfectus est etiam fortissimè pugnans Crastinus, cujus mentionem suprà fecimus, gladio in os adversum conjecto. Neque id fuit falsum, quod, ille in pugnam proficiscens, dixerat: sic enim Cæsar existimabat, eo prælio excellentissimam virtutem Crastini fuisse, optimèque eum de se meritum judicabat. Ex Pompeiano exercitu circiter millia XV cecidisse videbantur. Sed in deditionem venerunt amplius millia XXIV (namque etiam cohortes, quæ præsidio in castellis fuerant, sese Syllæ dediderunt). Multi præterea in finitimas civitates refugerunt, signaque militaria ex prælio ad Cæsarem sunt relata CLXXX, et aquilæ IX. L. Domitius ex castris in montem refugiens, cum vires eum lassitudine defecissent, ab equitibus est interfectus.

28. Eodem tempore D. Lælius cum classe ad Brundisium venit, eademque ratione, qua factum à Libone antea demonstravimus, insulam objectam portui Brundisino tenuit. Similiter Vatinius, qui Brundisio præerat, tectis instructisque scaphis, elicuit naves Lælianas; atque ex his longius productam unam quinqueremem, et minores duas, in angustiis portus cepit. Itemque per equites dispositos aqua prohibere classiarios instituit. Sed Lælius tempore anni commodiore usus ad navigandum, onerariis navibus Corcyra, Dyrrhachioque aquam suis supportabat, neque à proposito deterrebatur, neque ante prælium in Thessalia factum cognitum, aut ignominia amissarum navium, aut necessariarum rerum inopia, ex portu insulaque expelli potuit.

29. Iisdem ferè temporibus Cassius cum classe Syrorum, et Phœnicum, et Cilicum in Siciliam venit: et cum esset Cæsaris classis divisa in duas partes, et dimidiæ parti præesset P. Sulpicius prætor Vibone ad fretum, dimidiæ M. Pomponius ad Messanam: prius Cassius ad Messanam navibus advolavit, quàm Pomponius de ejus adventu cognosceret; perturbatumque eum nactus, nullis custodiis neque ordinibus certis, magno vento et secundo completas onerarias naves teda et pice et stupa, reliquisque rebus, quæ sunt ad incendia, in Pomponianam classem immisit, atque omnes naves incendit XXXV: è quibus erant XX constratæ: tantusque eo facto timor incessit, ut, cum esset legio præsidio Messanæ, vix oppidum defenderetur: et nisi eo ipso tempore quidam nuntii de Cæsaris victoria per dispositos equites essent allati, existimabant plerique futurum fuisse, ut amitteretur. Sed opportunissimè nuntiis allatis, oppidum fuit defensum. Cassiusque ad Sulpicianam inde classem profectus est Vibonem, applicatisque nostris ad terram navibus, propter eumdem timorem pari atque antea ratione egit: secundum nactus ventum, onerarias naves circiter XL præparatas ad incendium immisit, et flamma ab utroque cornu comprehensa, naves sunt combustæ quinque. Cumque ignis magnitudine venti latius serperet, milites, qui ex veteribus legionibus erant relicti præsidio navibus, ex numero ægrorum, ignominiam non tulerunt; sed sua sponte naves conscenderunt, et à terra solverunt, impetuque facto in Cassianam classem, quinqueremes duas, in quarum altera erat Cassius, ceperunt: sed Cassius, exceptus scapha, refugit. Præterea duæ sunt deprehensæ triremes: neque multò post de prælio facto in Thessalia cognitum est, ut ipsis Pompeianis fides fieret: nam ante id tempus fingi à legatis amicisque Cæsaris arbitrabantur. Quibus rebus cognitis, ex iis locis Cassius cum classe discessit.

30. Cæsar omnibus rebus relictis, persequendum sibi Pompeium existimavit, quascumque in partes ex fuga se recepisset: ne rursus copias comparare alias,

et bellum renovare posset: quantumque itineris equitatu efficere poterat, quotidie progrediebatur, legionemque unam minoribus itineribus subsequi jussit. Erat edictum Pompeii nomine Amphipoli propositum, uti omnes ejus Provinciæ juniores, Græci civesque Romani jurandi causa convenirent. Sed utrum avertendæ suspicionis causa Pompeius proposuisset, ut quàm diutissimè longioris fugæ consilium occultaret, an novis delectibus, si nemo præmeret, Macedoniam tenere conaretur, existimari non poterat: ipse ad anchoram una nocte constitit, et vocatis ad se Amphipoli hospitibus et pecunia ad necessarios sumptus corrogata, cognito Cæsaris adventu, ex eo loco discessit, et Mitylenas paucis diebus venit. Biduum tempestate retentus, navibusque aliis additis actuariis, in Ciliciam, atque inde Cyprum pervenit. Ibi cognoscit, consensu omnium Antiochensium civiumque Romanorum, qui illic negotiarentur, arcem captam esse, excludendi sui causa, nuntiosque dimissos ad eos, qui se ex fuga in finitimas civitates recepisse dicerentur, ne Antiochiam adirent: id si fecissent, magno eorum capitis periculo futurum. Idem hoc L. Lentulo, qui superiore anno consul fuerat, et P. Lentulo consulari, ac nonnullis aliis acciderat Rhodi: qui cum ex fuga Pompeium sequerentur, atque in insulam venissent, oppido ac portu recepti non erant: missisque ad eos nuntiis, ut ex his locis discederent, contra voluntatem suam naves solverunt. Jamque de Cæsaris adventu fama ad civitates perferebatur.

31. Quibus cognitis rebus, Pompeius, deposito adeundæ Syriæ consilio, pecunia societatis sublata, et à quibusdam privatis sumpta, et æris magno pondere ad militarem usum in naves imposito, duobusque millibus hominum armatis, partim quos ex familiis societatum delegerat, partim à negotiatoribus coëgerat, quosque ex suis quisque ad hanc rem idoneos existimabat, Pelusium pervenit. Ibi casu rex erat Ptolemæus, puer ætate, magnis copiis, cum sorore Cleopatra gerens bellum, quam paucis antè mensibus per

suos propinquos, atque amicos regno expulerat castraque Cleopatræ non longo spatio ab ejus castris distabant. Ad eum Pompeius misit, ut pro hospitio atque amicitia patris Alexandria reciperetur, atque illius opibus in calamitate tegeretur. Sed qui ab eo missi erant, confecto legationis officio, liberius cum militibus regis colloqui cœperunt: eosque hortari, ut suum officium Pompeio præstarent, neve ejus fortunam despicerent. In hoc erant numero complures Pompeii milites, quos ex ejus exercitu acceptos in Syria, Gabinius Alexandriam transduxerat, belloque confecto, apud Ptolemæum, patrem pueri, reliquerat.

32. His tunc cognitis rebus, amici regis, qui propter ætatem ejus in procuratione erant regni, sive timore adducti, ut postea prædicabant, ne sollicitato exercitu regio, Pompeius Alexandriam Ægyptumque occuparet: sive despecta ejus fortuna, ut plerumque in calamitate ex amicis inimici existunt; iis, qui erant ab eo missi, palàm liberaliter responderunt, eumque ad regem venire jusserunt. Ipsi, clàm consilio inito, Achillam, præfectum regium, singulari hominem audacia, et L. Septimium tribunum militum, ad interficiendum Pompeium miserunt. Ab his liberaliter ipse appellatus et quadam notitia Septimii productus, quòd bello prædonum apud eum ordinem duxerat, naviculam parvulam conscendit cum paucis suis, et ibi ab Achilla et Septimio interficitur. Item L. Lentulus comprehenditur à rege, et in custodia necatur.

PHÆDRI FABULARUM

LIBER QUARTUS.

PROLOGUS.

Quum destinâssem terminum operi statuere,
In hoc ut aliis esset materiæ satis,
Consilium tacito corde damnavi meum.
Nam si quis talis etiam est tituli appetens,
Quo pacto divinabit quidnam omiserim,
Ut illud ipsum cupiat famæ tradere;
Sua cuique quum sit animi cogitatio,
Colorque proprius? Ergò non levitas mihi,
Sed certa ratio causam scribendi dedit.
Quare, Particulo, quoniam caperis fabulis,
(Quas Æsopeas, non Æsopi, nomino,
Paucas ostendit ille, ego plures dissero,
Usus vetusto genere, sed rebus novis),
Quartum libellum nunc tu vacivè perleges.
Hunc obtrectare si volet malignitas,
Imitari dum non possit, obtrectet licet.
Mihi parta laus est, quòd tu, quòd similes tui,
Vestras in chartas verba transfertis mea,
Dignumque longâ judicatis memoriâ.
In litteratum plausum nec desidero.

FABULA I.

Miserrimus, qui in vitâ miser, post mortem miserior.

ASINUS ET GALLI.

FABULA II (adjecta).

Astutus astu non capitur.

DE MUSTELA ET MURIBUS.

Qui natus est infelix, non vitam modò
Tristem decurrit, verùm post obitum quoque
Persequitur illum dura fati miseria.

Galli Cybebes circùm in quæstus ducere
Asinum solebant, bajulantem sarcinas.
Is quum labore et plagis esset mortuus,
Detractâ pelle, sibi fecerunt tympana.
Rogati mox à quodam, delicio suo
Quidnam fecissent? hoc locuti sunt modo:
Putabat se post mortem securum fore;
Ecce aliæ plagæ congeruntur mortuo.

Joculare tibi videtur; et sanè leve,
Dum nihil habemus majus, calamo ludimus;
Sed diligenter intuere has nenias,
Quantam sub illis utilitatem reperies!
Non semper ea sunt, quæ videntur: decipit
Frons prima multos; rara mens intelligit
Quod interiore condidit cura angulo.
Hoc ne locutus sinè mercede existimer,
Fabellam adjiciam de mustelâ et muribus.

Mustela, quum, annis et senectâ debilis,
Mures veloces non valeret assequi,

Involvit se farinâ et obscuro loco
Abjecit negligenter. Mus, escam putans,
Assiluit, et compressus occubuit neci.
Alter similiter periit, deindè et tertius.
Aliquot secutis, venit et retorridus,
Qui sæpè laqueos et muscipula effugerat;
Proculque insidias cernens hostis callidi·
Sic valeas, inquit, ut farina es, quæ jaces.

FABULA III.

Spernit superbus quæ nequit assequi.

VULPIS ET UVA.

Fame coacta Vulpis altâ in vineâ
Uvam appetebat, summis saliens viribus.
Quam tangere ut non potuit, discedens ait:
Nondùm matura est, nolo acerbam sumere.

Qui, facere quæ non possunt, verbis elevant,
Adscribere hoc debebunt exemplum sibi.

FABULA IV.

Vindictæ cupidus sibi malum arcessit.

EQUUS ET APER.

Equus sedare solitus quo fuerat sitim,
Dum sese Aper volutat, turbavit vadum.
Hinc orta lis est. Sonipes, iratus fero,
Auxilium petiit hominis, quem dorso levans,
Rediit ad hostem. Jactis hunc telis eques
Postquàm interfecit, sic locutus traditur:
Lætor tulisse auxilium me precibus tuis:

Nam prædam cepi, et didici quàm sis utilis,
Atque ità coegit frenos invitum pati.
Tum mœstus ille: Parvæ vindictam rei
Dum quæro demens, servitutem reperi.

Hæc iracundos admonebit fabula,
Impunè potiùs lædi, quàm dedi alteri.

FABULA V.

Feriunt summos fulmina montes.

PUGNA MURIUM MUSTELARUM.

Quum victi Mures Mustelarum exercitu,
(Historia quorum in tabernis pingitur)
Fugerent, et arctos circùm trepidarent cavos,
Ægrè recepti, tamen evaserunt necem.
Duces eorum, qui capitibus cornua
Suis ligârunt, ut conspicuum in prælio
Haberent signum quod sequerentur milites,
Hæsêre in portis, suntque capti ab hostibus;
Quos immolatos victor avidis dentibus,
Capacis alvi mersit tartareo specu.

Quemcunque populum tristis eventus premit,
Periclitatur magnitudo principum;
Minuta plebes facili præsidio latet.

FABULA VI.

Stultus, nisi quod ipse facit, nil rectum putat.

POETA.

Tu qui nasutè scripta distringis mea,
Et hoc jocorum legere fastidis genus,

Parvâ libellum sustine patientiâ,
Severitatem frontis dum placo tuæ,
Et in cothurnis prodit Æsopus novis.
Utinam nec unquam Pelii * nemoris jugo
Pinus bipenni concidisset Thessalâ;
Nec ad professæ mortis audacem viam
Fabricâsset Argus opere Palladio ratem,
Inhospitalis prima quæ Ponti sinus
Patefecit, in perniciem Graiiûm et Barbarûm!
Namque et superbi luget Æetæ domus,
Et regna Peliæ scelere Medeæ jacent:
Quæ sævum ingenium variis involvens modis,
Illìc per artus fratris explicuit fugam,
Hic cæde Patris Peliadum infecit manus.
Quid tibi videtur? Hoc quoque insulsum est, ais,
Falsoque dictum; longè quia vetustior
Ægea Minos classe perdomuit freta,
Justoque vindicavit exemplo impetum.
Quid ergò possum facere tibi, lector Cato,
Si nec fabellæ te juvant, nec fabulæ?
Noli molestus esse omninò litteris,
Majorem exhibeant ne tibi molestiam.

Hoc illis dictum est, qui stultitiâ nauseant,
Et, ut putentur sapere, cœlum vituperant.

FABULA VII.

Maledico maledicens pejus audies.

VIPERA ET LIMA.

Mordaciorem qui improbo dente appetit,
Hoc argumento se describi sentiat.

* *Pelium nemus* silva fuit in monte Pelio. In hoc Thessaliæ monte ex arbore pinu, quæ ibi frequens reperiebatur, Argo fabricata fuit.

In officinam fabri venit Vipera.
Hæc quum tentaret, si qua res esset cibi,
Limam momordit. Illa contrà contumax:
Quid me, inquit, stulta, dente captas lædere,
Omne adsuevi ferrum quæ corrodere?

FABULA VIII.

Improbi, ne pereant, perdunt.

VULPIS ET HIRCUS.

Homo in periclum simul ac venit callidus,
Reperire effugium alterius quærit malo.

Quum decidisset Vulpis in puteum inscia,
Et altiore clauderetur margine,
Devenit Hircus sitiens in eumdem locum:
Simul rogavit, esset an dulcis liquor,
Et copiosus. Illa fraudem moliens:
Descende, amice; tanta bonitas est aquæ,
Voluptas ut satiari non possit mea.
Immisit se barbatus. Tum Vulpecula
Evasit puteo, nixa celsis cornibus,
Hircumque clauso liquit hærentem vado.

FABULA IX.

Fallit quemque cæcus amor sui.

DE VITIIS HOMINUM.

Peras imposuit Jupiter nobis duas:
Propriis repletam vitiis post tergum dedit,
Alienis ante pectus suspendit gravem.

Hâc re videre nostra mala non possumus,
Alii simul delinquunt, censores sumus.

FABULA X.

Invenit Deus maleficum.

FUR ARAM COMPILANS.

Lucernam fur accendit ex arâ Jovis,
Ipsumque compilavit ad lumen suum.
Onustus sacrilegio quum discederet,
Repentè vocem sancta misit Religio:
Malorum quamvìs ista fuerint munera,
Mihique invisa, ut non offendar subripi;
Tamen, sceleste, spiritu culpam lues,
Olim quum adscriptus venerit pœnæ dies.
Sed ne ignis noster facinori præluceat,
Per quem verendos excolit pietas Deos,
Veto esse tale luminis commercium.
Ità hodiè nec lucernam de flammâ Deûm,
Nec de lucernâ fas est accendi sacrum.

Quot res contineat hoc argumentum utiles,
Non explicabit alius quàm qui reperit.
Significat primò, sæpè, quos ipse alueris,
Tibi inveniri maximè contrarios.
Secundò ostendit, scelera non irâ Deûm,
Fatorum dicto sed puniri tempore.
Novissimè interdicit, ne cum malefico
Usum bonus consociet ullius rei.

FABULA XI.

Opes irritamenta malorum.

HERCULES ET PLUTUS.

Opes invisæ meritò sunt forti viro,
Quia dives arca veram laudem intercipit.

Cœlo receptus propter virtutem Hercules,
Quum gratulantes persalutâsset Deos,
Veniente Pluto, qui Fortunæ est filius,
Avertit oculos. Causam quæsivit pater.*
Odi, inquit, illum,† quia malis amicus est,
Simulque objecto cuncta corrumpit lucro.

FABULA XII.

Pares non habitus, sed virtus facit.

CAPELLÆ ET HIRCI.

Barbam Capellæ quum impetrâssent ab Jove
Hirci mœrentes indignari cœperunt,
Quòd dignitatem feminæ æquâssent suam.
Sinite, inquit, illas gloriâ vanâ frui,
Et usurpare vestri ornatum muneris,
Pares dum non sint vestræ fortitudinis.

Hoc argumentum monet, ut sustineas tibi
Habitu esse similes, qui sunt virtute impares.

FABULA XIII.

In secundis time, in adversis spera.

GUBERNATOR ET NAUTÆ.

Quum de fortunis quidam quereretur suis,
Æsopus finxit consolandi gratiâ.

Vexata sævis navis tempestatibus,
Inter vectorum lacrimas et mortis metum,

* *Pater*—Jupiter, utpote qui est pater deorum et hominum [illegible].
† *Illum*—Plutum

Faciem ad serenam subitò ut mutatur dies,
Ferri secundis tuta cœpit flatibus,
Nimiâque Nautæ hilaritate extollere.
Factus periclo tum Gubernator sophus:
Parcè gaudere oportet, et sensìm queri,
Totam quia vitam misset, dolor et gaudium.

FABULA XIV.

Malo qui benefacit, pejorem facit.

HOMO ET COLUBRA.

Qui fert malis auxilium, post tempus dolet.

Gelu rigentem quidam Colubram sustulit,
Sinuque fovit, contra se ipse misericors:
Namque ut refecta est, necuit hominem protinùs.
Hanc alia cum rogaret causam facinoris,
Respondit: Ne quis discat prodesse improbis.

FABULA XV.

Avarus auri custos, non dominus.

VULPIS ET DRACO.

Vulpis cubile fodiens, dum terram eruit
Agitque plures et altiùs cuniculos,
Pervenit ad Draconis speluncam intimam,
Custodiebat qui thesauros abditos.
Hunc simul adspexit: Oro ut imprudentiæ
Des primùm veniam: dein si pulchrè vides
Quàm non conveniens aurum sit vitæ meæ,
Respondeas clementer. Quem fructum capis
Hoc ex labore, quodve tantum est præmium,
Ut careas somno, et ævum in tenebris exigas?

Nullum, inquit ille: verùm hoc à summo mihi
Jove attributum est.—Ergò nec sumis tibi,
Nec ulli donas quidquam?—Sic fatis placet.—
Nolo irascaris, liberè si dixero:
Diis est iratis natus qui est similis tibi.

Abiturus illùc quò priores abierunt,
Quid mente cæcâ miserum torques spiritum?
Tibi dico, avare, gaudium heredis tui,
Qui ture Superos, ipsum te fraudas cibo:
Qui tristis audis musicum citharæ sonum,
Quem tibiarum macerat jocunditas,
Opsoniorum pretia cui gemitum exprimunt:
Qui, dum quadrantes aggeras patrimonio,
Cœlum fatigas sordido perjurio;
Qui circumcidis omnem impensam funeri,
Libitina* ne quid de tuo faciat lucri.

FABULA XVI.

Inventa perficere non inglorium.

PHÆDRUS.

Quid judicare cogitet livor modò,
Licèt dissimulet, pulchrè tamen intelligo:
Quidquid putabit esse dignum memoriæ,
Æsopi dicet; si quid minus arriserit,
A me contendet fictum quovis pignore.
Quem volo refelli jam nunc responso meo.
Sive hoc ineptum, sive laudandum est opus,
Invenit ille, nostra perfecit manus.
Sed exsequamur cœptum propositi ordinem.

* *Libitina*—Intelligendi Libitinarii, seu curatores funerum. Erant ministri Libitinæ, quæ Dea funerum apud Romanos credebatur.

FABULA XVII.

Veras divitias eripit nemo.

NAUFRAGIUM SIMONIDIS.

HOMO doctus in se semper divitias habet.

Simonides, qui scripsit egregium melos,
Quò paupertatem sustineret faciliùs,
Circuire cœpit urbes Asiæ nobiles,
Mercede acceptâ laudem victorum canens.
Hoc genere quæstûs postquàm locuples factus est,
Redire in patriam voluit, cursu pelagio,
(Erat autem natus, ut aiunt, in Ceâ insulâ); *
Adscendit navem, quam tempestas horrida,
Simul et vetustas medio dissolvit mari.
Hi zonas, illi res preciosas colligunt,
Subsidium vitæ. Quidam curiosior:
Simonide, tu ex opibus nil sumis tuis?
Mecum, inquit, mea sunt cuncta. Tunc pauci enatant,
Quia plures onere degravati perierant.
Prædones adsunt, rapiunt quod quisque extulit,
Nudos relinquunt. Fortè Clazomenæ † propè
Antiqua fuit urbs, quam petierunt naufragi.
Hic litterarum quidam studio deditus,
Simonidis qui sæpè versus legerat,
Eratque absentis admirator maximus,
Sermone ab ipso cognitum cupidissimè
Ad se recepit; veste, nummis, familiâ
Hominem exornavit. Cæteri tabulam suam
Portant, rogantes victum; quos casu obvios
Simonides ut vidit: Dixi, inquit, mea
Mecum esse cuncta; vos quod rapuistis, perît.

* *Cea*—Insula Maris Ægæi.
† *Clazomenæ*—Ionæ urbs, in peninsulâ ad Mare Ægæum.

FABULA XVIII.

Magna ne jactes, sed præstes.

MONS PARTURIENS.

Mons parturibat gemitus immanes ciens,
Eratque in terris maxima exspectatio.
At ille murem peperit. Hoc scriptum est tibi
Qui, magna quum minaris, extricas nihil.

FABULA XIX.

Vera gloria fictam obscurat.

FORMICA ET MUSCA.

Formica et Musca contendebant acriter
Quæ pluris esset. Musca sic cœpit prior:
Conferre nostris tu potes te laudibus?
Ubi immolatur, exta prægusto Deûm,
Moror inter aras, templa perlustro omnia,
In capite regis sedeo quum visum est mihi;
Laboro nihil, atque optimis rebus fruor.
Quid horum simile tibi contingit, rustica?
Est gloriosus sanè convictus Deûm,
Sed illi qui invitatur, non qui invisus est.
Aras frequentas: nempè abigeris, quò venis.
Super ètiam jactas tegere quod debet pudor.
Nihil laboras; ideò quum opus est, nil habes.
Ego granum in hiemem quum studiosè congero,
Te circa murum pasci video stercore.
Æstate me lacessis; quum bruma est, siles.
Mori contractam quum te cogunt frigora,
Me copiosa recipit incolumem domus.
Satis profectò retudi superbiam..

Fabella talis hominum discernit notas
Eorum qui se falsis ornant laudibus,
Et quorum virtus exhibet solidum decus.

FABULA XX.

Deum colenti stat sua merces.

SIMONIDES A DIIS SERVATUS.

Quantum valerent inter homines litteræ
Dixi superiùs: quantus nunc illis honos
A Superis sit tributus, tradam memoriæ.

Simonides idem ille, de quo retuli,
Victori laudem cuidam pyctæ ut scriberet,
Certo conduxit pretio: secretum petit.
Exigua quum frenaret materia impetum,
Usus poetæ, ut moris est, licentiâ,
Atque interposuit gemina Ledæ sidera,*
Auctoritatem similis referens gloriæ.
Opus approbavit, sed mercedis tertiam
Accepit partem. Quum reliquum posceret,
Illi, inquit, reddent, quorum sunt laudes duæ.
Verùm, ut ne iratè dimissum te sentiam,
Ad cœnam mihi promitte, cognatos volo
Hodiè invitare, quorum es in numero mihi.
Fraudatus quamvis, et dolens injuriâ,
Ne malè dimissus gratiam corrumperet,
Promisit. Rediit horâ dictâ, recubuit.
Splendebat hilare poculis convivium;
Magno apparatu læta resonabat domus,
Duo quum repentè juvenes, sparsi pulvere,
Sudore multo diffluentes, corpore
Humanam supra formam, cuidam servulo

* *Gemina Ledæ Sidera*—Castor et Pollux, Ledæ uxoris Tyndari filii, pugilatu clari et nobiles, missi denique ad sidera.

Mandant ut ad se provocet Simonidem;
Illius interesse ne faciat moram.
Homo perturbatus excitat Simonidem.
Unum promôrat* vix pedem triclinio,
Ruina camaræ subitò oppressit cæteros;
Nec ulli juvenes sunt reperti ad januam.
Ut est vulgatus ordo narratæ rei,
Omnes scierunt Numinum præsentiam
Vati dedisse vitam mercedis loco.

EPILOGUS.

Scribendi nullus finis.

Adhuc supersunt multa quæ possim loqui,
Et copiosa abundat rerum varietas;
Sed temperatæ suaves sunt argutiæ,
Immodicæ offendunt. Quare, vir sanctissime,
Particulo, chartis nomen victurum meis,
Latinis dum manebit pretium litteris,
Si non ingenium, certè brevitatem approba
Quæ commendari tantò debet justiùs,
Quantò Poetæ sunt molesti validiùs.

* *Promôrat*—i. e. promoverat.

PHÆDRI FABULARUM

LIBER QUINTUS.

PROLOGUS.

ÆSOPI nomen sicubi interposuero,
Cui reddidi jampridem quidquid debui,
Auctoritatis esse scito gratiâ:
Ut quidam artifices nostro faciunt seculo,
Qui pretium operibus majus inveniunt, novo
Si marmori adscripserunt Praxitelen suo
Trito Myronem argento. Fabulæ exaudiant
Adeò fugatæ. Plus vetustis nam favet
Invidia mordax, quàm bonis præsentibus.
Sed jam ad fabellam talis exempli feror.

FABULA I.

Melius est nomen bonum unguentis pretiosis.

DEMETRIUS ET MENANDER.

DEMETRIUS, qui dictus est Phalereus,
Athenas occupavit imperio improbo.
Ut mos est vulgi, passim et certatim ruunt;
Feliciter! succlamant. Ipsi principes
Illam osculantur quâ sunt oppressi manum,
Tacitè gementes tristem fortunæ vicem.

Quin etiam resides et sequentes otium,
Ne defuisse noceat, repunt ultimi:
In quîs Menander, nobilis comœdiis,
Quas, ipsum ignorans, legerat Demetrius,
Et admiratus fuerat ingenium viri,
Unguento delibutus, vestitu affluens,
Veniebat gressu delicato et languido.
Hunc ubi tyrannus vidit extremo agmine:
Quisnam cinædus ille in conspectu meo
Audet venire? Responderunt proximi:
Hic est Menander scriptor. Mutatus statim.

Desunt reliqua.

FABULA II.

Ventosa lingua, pedes fugaces.

VIATORES ET LATRO.

Duo quum incidissent in Latronem milites,
Unus profugit, alter autem restitit,
Et vindicavit sese forti dexterâ.
Latrone occiso, timidus accurrit comes,
Stringitque gladium, dein, rejectâ pænulâ:
Cedo, inquit, illum; jam curabo sentiat
Quos attentârit. Tunc, qui depugnaverat:
Vellem istis verbis saltem adjuvisses modò,
Constantior fuissem, vera existimans:
Nunc conde ferrum, et linguam pariter futilem,
Ut possis alios ignorantes fallere.
Ego, qui sum expertus quantis fugias viribus,
Scio quàm virtuti non sit credendum tuæ.

Illi assignari debet hæc narratio,
Qui re secundâ fortis est, dubiâ fugax.

FABULA III.

Spontè peccanti nulla est venia.

CALVUS ET MUSCA.

Calvi momordit Musca nudatum caput;
Quam opprimere captans, alapam sibi duxit gravem
Tunc illa irridens: Punctum volucris parvulæ
Voluisti morte ulcisci; quid facies tibi,
Injuriæ qui addideris contumeliam?
Respondit: Mecum facilè redeo in gratiam
Quia non fuisse mentem lædendi scio.
Sed te, contemti generis animal improbum,
Quæ delectaris bibere humanum sanguinem,
Optem necare vel majore incommodo.

Hoc argumentum veniam ei dari docet,
Qui casu peccat: nam qui consilio est nocens,
Illum esse quamvis dignum pœnâ judico.

FABULA IV.

Feliciter sapit qui alieno periculo sapit.

HOMO ET ASINUS.

Quidam immolâsset verrem quum sancto Herculi,
Cui pro salute votum debebat suâ
Asello jussit reliquias poni hordei.
Quas aspernatus ille, sic locutus est:
Tuum libenter prorsùs appeterem cibum,
Nisi qui nutritus illo est, jugulatus foret.

Hujus respectu fabulæ deterritus,
Periculosum semper reputavi lucrum.
Sed dicis: Qui rapuêre divitias, habent.
Numeremus agedum, qui deprensi perierent:

Majorem turbam punitorum reperies.
Paucis temeritas est bono, multis malo.

FABULA V.

Præjudicata opinio judicium obruit.

SCURRA ET RUSTICUS.

Pravo favore labi mortales solent,
Et pro judicio dum stant erroris sui,
Ad pœnitendum rebus manifestis agi.

Facturus ludos dives quidam et nobilis,
Proposito cunctos invitavit præmio,
Quam quisque posset, ut novitatem ostenderet.
Venêre artifices laudis ad certamina.
Quos inter Scurra, notus urbano sale,
Habere dixit se genus spectaculi,
Quod in theatro nunquàm prolatum foret.
Dispersus rumor civitatem concitat:
Paulò antè vacua turbam deficiunt loca.
In scenâ verò postquàm solus constitit
Sinè apparatu, nullis adjutoribus,
Silentium ipsa fecit exspectatio.
Ille in sinum repentè demisit caput,
Et sic porcelli vocem est imitatus suâ,
Verum ut subesse pallio contenderent,
Et excuti juberent. Quo facto, simul
Nihil est repertum, multis onerant laudibus,
Hominemque plausu prosequuntur maximo.
Hoc vidit fieri Rusticus. Non mehercule
Me vincet, inquit: et statìm professus est
Idem facturum meliùs se postridiè.
Fit turba major. Jam favor mentes tenet,
Et derisuri, non spectaturi, sedent.
Uterque prodit: Scurra degrunnit prior,
Movetque plausus, et clamores suscitat.

Tunc simulans sese vestimentis Rusticus
Porcellum obtegere (quod faciebat scilicèt,
Sed, in priore quia nil compererant, latens),
Pervellit aurem vero quem celaverat;
Et cum dolore vocem naturæ exprimit.
Acclamat populus Scurram multò similiùs
Imitatum, et cogit Rusticum trudi foràs.
At ille profert ipsum porcellum è sinu,
Turpemque aperto pignore errorem probans:
En hic declarat, quales sitis judices.

FABULA VI.

Non omnia omnibus congruunt.

DUO CALVI.

Invenit Calvus fortè in trivio pectinem.
Accessit alter æquè defectus pilis:
Eia, inquit, in commune quodcunque est lucri.
Ostendit ille prædam et adjecit simul:
Superûm voluntas favit; sed fato invido,
Carbonem, ut aiunt, pro thesauro invenimus.

Quem spes delusit, huic querela convenit.

FABULA VII.

Stulta superbia ridetur ab omnibus

PRINCEPS TIBICEN.

Ubi vanus animus, aurâ captus frivolâ,
Arripuit insolentem sibi fiduciam,
Facilè ad derisum stulta levitas ducitur.

Princeps * Tibicen notior paulò fuit,
Operam Bathyllo † solitus in scenâ dare.
Is fortè ludis (non satìs memini quibus)
Dum pegma rapitur, concidit casu gravi
Nec opinans, et sinistram fregit tibiam,
Duas quum dextras maluisset perdere.
Inter manus sublatus, et multùm gemens,
Domum refertur. Aliquot menses transeunt,
Ad sanitatem dum venit curatio.
Ut spectatorum mos est, et lepidum genus,
Desiderari cœpit, cujus flatibus
Solebat excitari saltantis vigor.

Erat facturus ludos quidam nobilis,
Et incipiebat ingredi Princeps. Eum
Adducit pretio, precibus, ut tantummodò
Ipso ludorum ostenderet sese die.
Qui simul advenit, rumor de Tibicine
Fremit in theatro: quidam affirmant mortuum,
Quidam in conspectum proditurum sinè morâ.
Aulæo misso, devolutis tonitrubus,
Dî sunt locuti more translatitio.
Tunc chorus ignotum et modo reducto canticum
Imposuit, cujus hæc fuit sententia:
Lætare, incolumis Roma, salvo Principe.
In plausus consurrectum est. Jactat basia
Tibicen, gratulari fautores putat.
Equester ordo stultum errorem intelligit,
Magnoque risu canticum repeti jubet.
Iteratur illud. Homo meus se in pulpito
Totum prosternit; plaudit illudens eques.
Rogare populus hunc coronam existimat.
Ut verò cuneis notuit res omnibus,
Princeps, ligato crure niveâ fasciâ,
Niveisque tunicis, niveis etiam calceis,

* *Princeps*—Nomen tibicinis proprium, ex quo ambiguitas versûs 27 et seq. unicè explicanda.
† *Bathyllus* Alexandrinus, saltationis pariter ac mimicæ apud Romanos auctor.

Superbiens honore divinæ domûs,
Ab universis capite est protrusus forâs.

FABULA VIII.

Fugit irreparabile tempus.

OCCASIO DEPICTA.

Cursu volucri, pendens in novaculâ,
Calvus, comosâ fronte, nudo corpore,
Quem si occupâris, teneas: elapsum semel
Non ipse possit Jupiter reprehendere:
Occasionem rerum significat brevem.

Effectus impediret ne segnis mora,
Finxêre antiqui talem effigiem Temporis.

FABULA IX.

Ne Sus Minervam.

TAURUS ET VITULUS.

Angusto in aditu Taurus luctans cornibus,
Quum vix intrare posset ad præsepia,
Monstrabat Vitulus quo se pacto plecteret.
Tace, inquit, antè hoc novi quàm tu natus es.

Qui doctiorem emendat, sibi dici putet.

FABULA X

Omnia fert ætas.

VENATOR ET CANIS.

Adversus omnes fortis veloces feras
Canis quum Domino semper fecisset satis.

Languere cœpit annis ingravantibus.
Aliquandò objectus hispidi pugnæ suis,
Arripuit aurem; sed cariosis dentibus
Prædam dimisit. Hìc tum Venator dolens,
Canem objurgat. Cui latrans contrà senex:
Non te destituit animus, sed vires meæ.
Quod fuimus laudâsti; jam damnas quod sumus.

Hoc cur, Philete, scripserim, pulchrè vides.

APPENDIX

FABULARUM ÆSOPIARUM X.*

FABULA I.

MILVUS ÆGROTANS.

Multos quum menses ægrotâsset Milüus,
Nec jam videret esse vitæ spem suæ,
Matrem rogabat, sancta circumiret loca.
Et pro salute vota faceret maxima.
Faciam, inquit, fili: sed opem ne non impetrem
Vehementer vereor; nam qui delubra omnia
Vastando, cuncta polluisti altaria,
Sacrificiis nullis parcens, nunc quid vis rogem?

* Burmannus, si non omnes hujus Appendicis Fabulas, maximam tamen partem, olim à Phædro fuisse versibus senariis conscriptas credit. (*Bibliotheca Classica Latina*, *Tom.* 58, *p.* 280, *edit. Paris*, MDCCCXXVI.)

FABULA II.

LEPORES VITÆ PERTÆSI.

Qui sustinere non potest suum malum,
Alios inspiciat et discat tolerantiam.

Aliquandò in silvis strepitu magno conciti
Lepores clamant, se propter assiduos metus
Finire velle vitam. Sin quemdam ad lacum
Venerunt, miseri quò se præcipites darent.
Adventu quorum postquàm Ranæ territæ
Virides in algas miserè fugientes ruunt:
Heu, inquit unus, sunt et alii quos timor
Vexat malorum. Ferte vitam ut cæteri.

FABULA III.

LEO ET MUS.

Ne quis minores lædat, fabula hæc monet.

Leone in silvâ dormiente, rustici
Luxuriantes Mures, unus ex iis
Super cubantem casu quodam transiit.
Expergefactus miserum Leo celeri impetu
Arripuit; ille veniam sibi dari rogat,
Crimen supplex fatetur, peccatum imprudentiæ.
Hoc Rex ulcisci gloriosum non putans,
Ignovit et dimisit. Post paucos dies,
Leo, dum vagatur noctu, in foveam decidit.
Captum ut se agnovit laqueis, voce maximâ
Rugire cœpit: cujus immanem ad sonum
Mus subitò accurrens: Non est quod timeas, ait;
Beneficio magno gratiam reddam parem.
Mox omnes artus, artuum et ligamina

Lustrare cœpit, cognitosque dentibus
Nervos rodendo laxat ingenia artuum.
Sic captum Mus Leonem silvis reddidit.

FABULA IV.

HOMO ET ARBORES.

Pereunt suis auxilium qui dant hostibus.

Factâ bipenni, quidam ab arboribus petit
Manubrium ut darent è ligno quod foret.
Firmum. Jusserunt omnes Oleastrum dari.
Accepit munus; aptans et manubrium,
Cœpit securi magna excidere Robora.
Dumque eligebat quæ vellet, sic Fraxino
Dixisse fertur Quercus: Meritò cædimur.

FABULA V.

MUS ET RANA.

Mus, quò transire posset flumen faciliùs,
Auxilium Ranæ petit. Hæc Muris alligat
Lino priorem crus ad posterius pedem.
Amnem natantes vix medium devenerant,
Quum Rana, subitò fundum fluminis petens,
Se mergit, Muri ut vitam eriperet perfidè.
Qui dum ne mergeretur tendit validiùs,
Prædam conspexit Milvus propter volans,
Muremque fluctuantem rapuit unguibus,
Simulque Ranam colligatam sustulit.

Sic sæpè intereunt aliis meditantes necem.

FABULA VI.

FORMICA ET CICADA.

Hiemis Formica grana tempore è cavo
Trahens siccabat, quæ prudens collegerat
Æstate. Esuriens hanc, ut aliquid sibi daret
Rogat Cicada. Cui Formica: Æstate quid
Agebas? inquit. Illa: non erat otium
Ut de futuro cogitarem tempore,
Errabam cantans per sepes et pascua.
Ridens Formica, et grana referens, sic ait:
Æstate quæ cantâsti, age, salta frigore.

Pige laboret certo semper tempore,
Ne, quum nil habeat, poscens accipiat nihil.

FABULA VII.

LEO ET PASTOR.

Errans in silvâ spinam calcavit Leo;
Mox ad Pastorem caudâ venit blandiens.
Ne perturberis, imploro supplex opem,
Non prædam quæro. Ponit in gremio pedem
Homo sublatum, et, eximens spinam, gravi
Levat dolore. Redit hinc in silvas Leo.
Falso post tempus accusatus crimine
Pastor damnatur, atque ludis proximis
Jejunis projici jubetur bestiis.
Emissæ dum discursitant passim feræ,
Agnovit hominem qui medicinam fecerat
Leo, et sublatum rursùs in gremio pedem
Pastori ponit. Rex ut cognovit, statim
Silvis Leonem, et Pastorem reddit suis.

FABULA VIII.

LEO SENEX ET VULPES.

Defectus annis, languorem finxit Leo.
Ægrotum ad regem visitandum bestiæ.
Plures venerunt, devorat quas protinùs.
Sed cauta Vulpis ante speluncam procul
Stabat salutans regem. Quam rogat Leo,
Cur non intraret: video quòd vestigia
Intrantium multa, at nulla exeuntium.

Prodesse cautis pericula aliorum solent.

FABULA IX.

VOLUCRES, QUADRUPEDES, ET VESPERTILIO.

Bellum gerebant Volucres cum Quadrupedibus,
Et vincebantur versâ victores vice.
At Vespertilio, dubios eventus timens,
Ad illos semper quos superâsse viderat
Se conferebat. In pacem quum pristina n
Redîssent, fraus utrique generi apparuit,
Damnatus ergo tam pudendo crimine,
Lucem refugiens, atris posthàc condidit
Se tenebris, sola noctibus semper volans.

Qui se duabus venditabit partibus,
Utrisque ingratus vitam deget turpiter.

FABULA X.

HŒDUS ET LUPUS.

Capella, fetum ut costodiret, exiens
Pastum, imprudentem monuit Hœdum, ne ostium

Aperiret, multas quòd sciret stabula feras
Circuire pecorum. Ut abiit, advenit Lupus,
Adsimilans vocem matris, et jubet fores
Sibi reserari. Ut Hœdus audivit, Lupo,
Per rimam spectans, inquit: audio sonum
Matris, sed fallax atque inimicus es mihi;
Sub voce matris nostrum quæris sanguinem
Potare, et nostrâ carne satiari. Vale.

Laus magna natis, obsequi parentibus.

OVIDII METAMORPHOSEON.

MUNDI CREATIO.

In nova fert animus mutatas dicere formas
Corpora. Dî, cœptis (nam vos mutâstis et illas)
Adspirate meis; primâque ab origine mundi
Ad mea perpetuum deducite tempora carmen.
Antè, mare et tellus, et, quod tegit omnia, cœlum,
Unus erat toto Naturæ vultus in orbe,
Quem dixêre Chaos; rudis indigestaque moles;
Nec quidquam, nisi pondus iners; congestaque eòdem
Non bene junctarum discordia semina rerum.
Nullus adhuc mundo præbebat lumina Titan;
Nec nova crescendo reparabat cornua Phœbe;
Nec circumfuso pendebat in aëre tellus
Ponderibus librata suis: nec brachia longo
Margine terrarum porrexerat Amphitrite
Quâque fuit tellus, illîc et pontus et aër:
Sic erat instabilis tellus, innabilis unda,
Lucis egens aër: nulli sua forma manebat.
Obstabatque aliis aliud: quia corpore in uno
Frigida pugnabant calidis, humentia siccis,
Mollia cum duris, sine pondere habentia pondus.
Hanc Deus et melior litem Natura diremit:
Nam cœlo terras, et terris abscidit undas,
Et liquidum spisso secrevit ab aëre cœlum.
Quæ postquam evolvit, cæcoque exemit acervo,
Dissociata locis concordi pace ligavit.
Ignea convexi vis et sine pondere cœli
Emicuit, summâque locum sibi legit in arce.

Proximus est aër illi levitate, locoque.
Densior his tellus: elementaque grandia traxit;
Et pressa est gravitate sui. Circumfluus humor
Ultima possedit, solidumque coërcuit orbem.
Sic ubi dispositam, quisquis fuit ille deorum,
Congeriem secuit, sectamque in membra redegit;
Principio terram, ne non æqualis ab omni
Parte foret, magni speciem glomeravit in orbis.
Tum freta diffundi, rapidisque tumescere ventis
Jussit, et ambitæ circumdare littora terræ.
Addidit et fontes, immensaque stagna, lacusque;
Fluminaque obliquis cinxit declivia ripis:
Quæ diversa locis partim sorbentur ab ipsâ;
In mare perveniunt partim, campoque recepta
Liberioris aquæ, pro ripis littora pulsant.
Jussit et extendi campos, subsidere valles,
Fronde tegi silvas, lapidosos surgere montes.
Utque duæ dextrâ cœlum, totidemque sinistrâ
Parte secant zonæ, quinta est ardentior illis;
Sic onus inclusum numero distinxit eodem
Cura dei: totidemque plagæ tellure premuntur.
Quarum quæ media est, non est habitabilis æstu:
Nix tegit alta duas: totidem inter utrumque locavit
Temperiemque dedit, mixtâ cum frigore flammâ.
Imminet his aër: qui, quantò est pondere terræ
Pondus aquæ levius, tantò est onerosior igni.
Illîc et nebulas, illîc consistere nubes
Jussit, et humanas motura tonitrua mentes,
Et cum fulminibus facientes frigora ventos.
His quoque non passim mundi fabricator habendum
Aëra permisit. Vix nunc obsistitur illis,
Cùm sua quisque regant diverso flamina tractu,
Quin lanient mundum; tanta est discordia fratrum.
Eurus ad Auroram, Nabathæaque regna recessit,
Persidaque, et radiis juga subdita matutinis.
Vesper, et occiduo quæ littora sole tepescunt,
Proxima sunt Zephyro: Scythiam Septemque trionem
Horrifer invasit Boreas; contraria tellus
Nubibus adsiduis, pluvioque madescit ab Austro.

Hæc super imposuit liquidum et gravitate carentem
Æthera, nec quidquam terrenæ fæcis habentem.
Vix ea limitibus dissepserat omnia certis;
Cùm, quæ pressa diu massâ latuêre sub illâ,
Sidera cœperunt toto effervescere cœlo.
Neu regio foret ulla suis animantibus orba,
Astra tenent cœleste solum, formæque deorum:
Cesserunt nitidis habitandæ piscibus undæ:
Terra feras cepit: volucres agitabilis aër.
Sanctius his animal, mentisque capacius altæ
Deerat adhuc, et quod dominari in cætera posset.
Natus homo est: sive hunc divino semine fecit
Ille opifex rerum, mundi melioris origo:
Sive recens tellus, seductaque nuper ab alto
Æthere, cognati retinebat semina cœli.
Quam satus Iapeto, mixtam fluvialibus undis,
Finxit in effigiem moderantûm cuncta deorum.
Pronaque cùm spectent animalia cætera terram;
Os homini sublime dedit: cœlumque tueri
Jussit, et erectos ad sidera tollere vultus.
Sic, modò quæ fuerat rudis et sine imagine, tellus
Induit ignotas hominum conversa figuras.
Aurea prima sata est ætas, quæ, vindice nullo,
Sponte suâ, sine lege, fidem rectumque còlebat.
Pœna metusque aberant: nec verba minacia fixo
Ære legebantur: nec supplex turba timebant
Judicis ora sui: sed erant sine judice tuti.
Nondum cæsa suis, peregrinum ut viseret orbem,
Montibus, in liquidas pinus descenderat undas:
Nullaque mortales, præter sua, littora nôrant.
Nondum præcipites cingebant oppida fossæ:
Non tuba directi, non æris cornua flexi,
Non galeæ, non ensis, erant. Sine militis usu
Mollia securæ peragebant otia mentes.
Ipsa quoque immunis, rastroque intacta, nec ullis
Saucia vomeribus, per se dabat omnia tellus:
Contentique cibis, nullo cogente, creatis,
Arbuteos fœtus, montanaque fraga legebant,
Cornaque, et in duris hærentia mora rubetis;

Et quæ deciderant patulâ Jovis arbore glandes.
Ver erat æternum, placidique tepentibus auris
Mulcebant zephyri natos sine semine flores.
Mox etiam fruges tellus inarata ferebat:
Nec renovatus ager gravidis canebat aristis.
Flumina jam lactis, jam flumina nectaris ibant:
Flavaque de viridi stillabant ilice mella.
    Postquam, Saturno tenebrosa in Tartara misso,
Sub Jove mundus erat; subiit argentea proles,
Auro deterior, fulvo pretiosior ære.
Jupiter antiqui contraxit tempora veris:
Perque hiemes, æstusque, et inæquales autumnos,
Et breve ver, spatiis exegit quatuor annum.
Tum primùm siccis aër fervoribus ustus
Canduit: et ventis glacies adstricta pependit.
Tum primùm subiêre domos. Domus antra fuerunt,
Et densi frutices, et vinctæ cortice virgæ.
Semina tum primùm longis Cerealia sulcis
Obruta sunt, pressique jugo gemuêre juvenci.
    Tertia post illas successit aënea proles,
Sævior ingeniis, et ad horrida promptior arma;
Nec scelerata tamen. De duro est ultima ferro.
Protinus irrumpit venæ pejoris in ævum
Omne nefas: fugêre pudor, verumque, fidesque:
In quorum subiêre locum fraudesque, dolique,
Insidiæque, et vis, et amor sceleratus habendi.
Vela dabat ventis, nec adhuc bene noverat illos
Navita: quæque diu steterant in montibus altis,
Fluctibus ignotis insultavêre carinæ.
Communemque priùs, ceu lumina solis et auras,
Cautus humum longo signavit limite mensor.
Nec tantùm segetes alimentaque debita dives
Poscebatur humus; sed itum est in viscera terræ:
Quasque recondiderat, Stygiisque admoverat umbris,
Effodiuntur opes, irritamenta malorum.
Jamque nocens ferrum, ferroque nocentius aurum
Prodierant: prodit bellum, quod pugnat utroque;
Sanguineâque manu crepitantia concutit arma.
Vivitur ex rapto: non hospes ab hospite tutus,

Non socer a genero: fratrum quoque gratia rara est.
Imminet exitio vir conjugis, illa mariti:
Lurida terribiles miscent aconita novercæ:
Filius ante diem patrios inquirit in annos.
Victa jacet Pietas: et virgo cæde madentes,
Ultima cœlestûm, terras Astræa reliquit

ICARI MORS.

Dædalus interea Creten, longumque perosus
Exsilium, tractusque soli natalis amore,
Clausus erat pelago. 'Terras licet,' inquit, 'et undas
Obstruat: at cœlum certè patet: ibimus illâc.
Omnia possideat; non possidet aëra Minos.'
Dixit: et ignotas animum dimittit in artes:
Naturamque novat. Nam ponit in ordine pennas,
A minimâ cœptas, longam breviore sequenti:
Ut clivo crevisse putes. Sic rustica quondam
Fistula disparibus paulatim surgit avenis.
Tum lino medias, et ceris alligat imas.
Atque ita compositas parvo curvamine flectit:
Ut veras imitentur aves. Puer Icarus unà
Stabat: et, ignarus sua se tractare pericla,
Ore renidenti, modò quas vaga moverat aura,
Captabat plumas: flavam modò pollice ceram
Mollibat, lusuque suo mirabile patris
Impediebat opus. Postquam manus ultima cœptis
Imposita est; geminas opifex libravit in alas
Ipse suum corpus: motâque pependit in aurâ.
Instruit et natum: 'Medioque ut limite curras,
Icare,' ait, 'moneo: ne, si demissior ibis,
Unda gravet pennas; si celsior, ignis adurat.
Inter utrumque vola. Nec te spectare Boöten,
Aut Helicen jubeo, strictumve Orionis ensem.
Me duce, carpe viam.' Pariter præcepta volandi
Tradit; et ignotas humeris adcommodat alas.
Inter opus monitusque genæ maduêre seniles:

Et patriæ tremuêre manus. Dedit oscula nato
Non iterum repetenda suo: pennisque levatus
Antè volat; comitique timet: velut ales, ab alto
Quæ teneram prolem producit in aëra nido.
Hortaturque sequi; damnosasque erudit artes:
Et movet ipse suas, et nati respicit alas.
Hos aliquis, tremulâ dum captat arundine pisces,
Aut pastor baculo, stivâve innixus arator,
Vidit, et obstupuit: quique æthera carpere possent,
Credidit esse deos. Et jam Junonia lævâ
Parte Samos fuerant, Delosque, Parosque relictæ:
Dextra Lebynthos erant, fœcundaque melle Calymne:
Cùm puer audaci cœpit gaudere volatu;
Deseruitque ducem: cœlique cupidine tractus
Altius egit iter. Rapidi vicinia solis
Mollit odoratas, pennarum vincula, ceras
Tabuerant ceræ: nudos quatit ille lacertos:
Remigioque carens non ullas percipit auras.
Oraque cæruleâ, patrium clamantia nomen,
Excipiuntur aquâ: quæ nomen traxit ab illo.
At pater infelix, nec jam pater, 'Icare,' dixit,
'Icare,' dixit, 'ubi es? quâ te regione requiram?
Icare,' dicebat: pennas adspexit in undis,
Devovitque suas artes; corpusque sepulcro
Condidit, et tellus a nomine dicta sepulti.

PHILEMON ET BAUCIS.

Amnis ab his tacuit. Factum mirabile cunctos
Moverat. Irridet credentes, utque deorum
Spretor erat mentisque ferox, Ixione natus.
Ficta refers, nimiumque putas, Acheloë, potentes
Esse deos, dixit, si dant adimuntque figuras.
Obstupuere omnes; nec talia dicta probarunt:
Ante omnesque Lelex, animo maturus et ævo,
Sic ait: 'Immensa est, finemque potentia cœli
Non habet: et quidquid superi voluêre, peractum est.

Quòque minùs dubites; tiliæ contermina quercus
Collibus est Phrygiis, modico circumdata muro.
Haud procul hinc stagnum; tellus habitabilis olim;
Nunc celebres mergis, fulicisque palustribus undæ.
Jupiter huc, specie mortali, cumque parente
Venit Atlantiades positis caducifer alis.
Mille domos adière, locum requiemque petentes.
Mille domos clausêre seræ. Tamen una recepit,
Parva quidem, stipulis et cannâ tecta palustri:
Sed pia Baucis anus, parilique ætate Philemon
Illâ sunt annis juncti juvenilibus; illâ
Consenuêre casâ: paupertatemque fatendo
Effecêre levem, nec iniquâ mente ferendam.
Nec refert, dominos illîc, famulosne requiras;
Tota domus, duo sunt: îdem parentque jubentque.
Ergo ubi cœlicolæ parvos tetigêre penates;
Submissoque humiles intrârunt vertice postes;
Membra senex posito jussit relevare sedili;
Quo superinjecit textum rude sedula Baucis.
Inde foco tepidum cinerem dimovit: et ignes
Suscitat hesternos; foliisque et cortice sicco
Nutrit; et ad flammas animâ producit anili:
Multifidasque faces, ramaliaque arida tecto
Detulit, et minuit, parvoque admovit aëno.
Quodque suus conjux riguo collegerat horto,
Truncat olus foliis. Furcâ levat ille bicorni
Sordida terga suis, nigro pendentia tigno:
Servatoque diu resecat de tergore partem
Exiguam; sectamque domat ferventibus undis.
Interea medias fallunt sermonibus horas:
Sentirique moram prohibent. Erat alveus illîc
Fagineus, curvâ clavo suspensus ab ansâ:
Is tepidis impletur aquis; artusque fovendos
Accipit. Id medio torus est de mollibus ulvis
Impositus lecto, spondâ pedibusque salignis.
Vestibus hunc velant, quas non nisi tempore festo
Sternere consuêrant: sed et hæc vilisque vetusque
Vestis erat, lecto non indignanda saligno.
Adcubuêre dei. Mensam succincta tremensque

Ponit anus. Mensæ sed erat pes tertius impar:
Testa parem fecit. Quæ postquam subdita clivum
Sustulit; æquatam mentæ tersêre virentes.
Ponitur hîc bicolor sinceræ bacca Minervæ,
Conditaque in liquidâ corna autumnalia fæce,
Intubaque, et radix, et lactis massa coacti;
Ovaque, non acri leviter versata favillâ;
Omnia fictilibus. Post hæc cælatus eâdem
Sistitur argillâ crater; fabricataque fago
Pocula, quâ cava sunt flaventibus illita ceris.
Parva mora est; epulasque foci misêre calentes.
Nec longæ rursus referuntur vina senectæ;
Dantque locum mensis paulùm seducta secundis.
Hìc nux, hîc mixta est rugosis carica palmis,
Prunaque, et in patulis redolentia mala canistris,
Et de purpureis collectæ vitibus uvæ.
Candidus in medio favus est. Super omnia vultus
Accessêre boni: nec iners pauperque voluntas.
Interea, quoties haustum cratera repleri
Sponte suâ, per seque vident succrescere vina,
Attoniti novitate pavent, manibusque supinis
Concipiunt Baucisque preces, timidusque Philemon:
Et veniam dapibus, nullisque paratibus orant.
Unicus anser erat, minimæ custodia villæ:
Quem dîs hospitibus domini mactare parabant:
Ille celer pennâ tardos ætate fatigat;
Eluditque diu: tandemque est visus ad ipsos
Confugisse deos. Superi vetuêre necari;
"Dîque sumus; meritasque luet vicinia pœnas
Impia," dixerunt: "vobis immunibus hujus
Esse mali dabitur: modò vestra relinquite tecta;
Ac nostros comitate gradus; et in ardua montis
Ite simul." Parent ambo, baculisque levati
Nituntur longo vestigia ponere clivo.
Tantum aberant summo, quantum semel ire sagitta
Missa potest: flexêre oculos, et mersa palude
Cætera prospiciunt: tantùm sua tecta manere.
Dumque ea mirantur; dum deflent fata suorum:
Illa vetus dominis etiam casa parva duobus,

Vertitur in templum: furcas subiêre columnæ:
Stramina flavescunt; adopertaque marmore tellus,
Cælatæque fores, aurataque tecta videntur.
Talia cum placido Saturnius edidit ore:
"Dicite, juste senex, et fœmina conjuge justo
Digna, quid optetis." Cum Baucide pauca locutus,
Consilium superis aperit commune Philemon:
"Esse sacerdotes, delubraque vestra tueri
Poscimus: et quoniam concordes egimus annos;
Auferat hora duos eadem: nec conjugis unquam
Busta meæ videam; neu sim tumulandus ab illâ."
Vota fides sequitur: templi tutela fuêre,
Donec vita data est. Annis ævoque soluti
Ante gradus sacros cùm starent fortè, locique
Inciperent casus; frondere Philemona Baucis,
Baucida conspexit senior frondere Philemon.
Jamque super gelidos crescente cacumine vultus,
Mutua, dum licuit, reddebant dicta; "Valeque,
O conjux," dixêre simul, simul abdita texit
Ora frutex. Ostendit adhuc Tyaneïus illîc
Incola de geminâ vicinos arbore truncos.
Hæc mihi non vani (neque erat cur fallere vellent)
Narravêre senes. Equidem pendentia vidi
Serta super ramos: ponensque recentia, dixi,
"Cura pii dîs sunt, et, qui coluêre, coluntur."

MIDAS.

Nec satis hoc Baccho est: ipsos quoque deserit agros;
Cumque choro meliore, sui vineta Timoli,
Pactolonque petit: quamvis non aureus illo
Tempore, nec caris erat invidiosus arenis.
Hunc adsueta cohors Satyri, Bacchæque frequentant;
At Silenus abest. Titubantem annisque meroque
Ruricolæ cepêre Phryges: vinctumque coronis
Ad regem traxêre Midan: cui Thracius Orpheus
Orgia tradiderat, cum Cecropio Eumolpo.

Qui simul agnovit socium comitemque sacrorum,
Hospitis adventu festum genialiter egit
Per bis quinque dies, et junctas ordine noctes.
Et jam stellarum sublime coëgerat agmen
Lucifer undecimus, Lydos cùm lætus in agros
Rex venit: et juveni Silenum reddit alumno.
Huic deus optandi gratum, sed inutile, fecit
Muneris arbitrium, gaudens altore recepto.
Ille malè usurus donis, ait, 'Effice, quidquid
Corpore contigero, fulvum vertatur in aurum.'
Adnuit optatis: nocituraque munera solvit
Liber; at indoluit, quòd non meliora petîsset.
Lætus abit; gaudetque malo Berecynthius heros:
Pollicitamque fidem tangendo singula tentat.
Vixque sibi credens, non altâ fronde virentem
Ilice detraxit virgam: virga aurea facta est.
Tollit humo saxum: saxum quoque palluit auro.
Contigit et glebam: contactu gleba potenti
Massa fit. Arentes Cereris decerpsit aristas:
Aurea messis erat. Demptum tenet arbore pomum:
Hesperidas donâsse putes. Si postibus altis
Admovit digitos; postes radiare videntur.
Ille etiam liquidis palmas ubi laverat undis,
Unda fluens palmis Danaën eludere posset.
Vix spes ipse suas animo capit, aurea fingens
Omnia. Gaudenti mensas posuêre ministri,
Exstructas dapibus, nec tostæ frugis egentes.
Tum verò, sive ille suâ Cerealia dextrâ
Munera contigerat, Cerealia dona rigebant.
Sive dapes avido convellere dente parabat,
Lamina fulva dapes admoto dente nitebant.
Miscuerat puris auctorem muneris undis,
Fusile per rictus aurum fluitare videres.
Attonitus novitate mali, divesque, miserque
Effugere optat opes: et, quæ modò voverat, odit.
Copia nulla famem relevat: sitis arida guttur
Urit, et inviso meritus torquetur ab auro.
Ad cœlumque manus et splendida brachia tollens,
'Da veniam, Lenæe pater; peccavimus,' inquit:

'Sed miserere, precor, speciosoque eripe damno.'
Mite deûm numen Bacchus peccâsse fatentem
Restituit, pactamque fidem, data munera, solvit.
'Neve malè optato maneas circumlitus auro,
Vade,' ait, 'ad magnis vicinum Sardibus amnem;
Perque jugum montis labentibus obvius undis
Carpe viam; donec venias ad fluminis ortus.
Spumiferoque tuum fonti, quâ plurimus exit,
Subde caput: corpusque simul, simul elue crimen.
Rex jussæ succedit aquæ. Vis aurea tinxit
Flumen, et humano de corpore cessit in amnem.
Nunc quoque jam veteris percepto semine venæ
Arva rigent, auro madidis pallentia glebis.

CERTAMEN INTER AJACEM ET ULYSSEM DE ACHILLIS ARMIS.

Consedere duces: et, vulgi stante coronâ,
Surgit ad hos clypei dominus septemplicis Ajax.
Utque erat impatiens iræ, Sigeïa torvo
Littora respexit, classemque in littore, vultu:
Intendensque manus, 'Agimus, prô Jupiter,' inquit,
'Ante rates causam; et mecum confertur Ulysses!
At non Hectoreis dubitavit cedere flammis:
Quas ego sustinui; quas hâc a classe fugavi.
Tutius est fictis igitur contendere verbis,
Quàm pugnare manu. Sed nec mihi dicere promptum,
Nec facere est isti: quantumque ego Marte feroci,
Quantum acie valeo, tantum valet iste loquendo.
Nec memoranda tamen vobis mea facta, Pelasgi,
Esse reor: vidistis enim. Sua narret Ulysses:
Quæ sine teste gerit, quorum nox conscia sola est.
    Præmia magna peti fateor: sed demit honorem
Æmulus. Ajaci non est tenuisse superbum,
Sit licèt hoc ingens, quidquid speravit Ulysses.
Iste tulit pretium jam nunc certaminis hujus;
Quo cùm victus erit, mecum certâsse feretur.
    Atque ego, si virtus in me dubitabilis esset,

Nobilitate potens essem, Telamone creatus:
Mœnia qui forti Trojana sub Hercule cepit:
Littoraque intravit Pegasæâ Colcha carinâ.
Æacus huic pater est: qui jura silentibus illîc
Reddit, ubi Æoliden saxum grave Sisyphon urget.
Æacon agnoscit summus, prolemque fatetur
Jupiter esse suam. Sic ab Jove tertius Ajax.
Nec tamen hæc series in causâ prosit, Achivi;
Si mihi cum magno non est communis Achille.
Frater erat; fraterna peto. Quid sanguine cretus
Sisyphio, furtisque, et fraude simillimus illi,
Inserit Æacidis alienæ nomina gentis?
An quòd in arma prior, nulloque sub indice veni,
Arma neganda mihi? potiorque videbitur ille,
Ultima qui cepit, detrectavitque furore
Militiam ficto: donec solertior isto,
Sed sibi inutilior, timidi commenta retexit
Naupliades animi, vitataque traxit in arma?
Optima nunc sumat, qui sumere noluit ulla:
Nos inhonorati, et donis patruelibus orbi,
Obtulimus qui nos ad prima pericula, simus.
Atque utinam aut verus furor ille, aut creditus, esset
Nec comes hic Phrygias unquam venisset ad arces
Hortator scelerum! Non te, Pœantia proles,
Expositum Lemnos nostro cum crimine haberet.
Qui nunc (ut memorant) silvestribus abditus antris
Saxa moves gemitu, Laërtiadæque precaris,
Quæ meruit: quæ (si dî sunt) non vana preceris.
Et nunc ille eadem nobis juratus in arma,
(Heu!) pars una ducum, quo successore sagittæ
Herculis utuntur, fractus morboque fameque,
Velaturque aliturque avibus; volucresque petendo
Debita Trojanis exercet spicula fatis.
Ille tamen vivit, quia non comitavit Ulyssem.
Mallet et infelix Palamedes esse relictus.
Viveret; aut certè letum sine crimine haberet.
Quem malè convicti nimiùm memor iste furoris
Prodere rem Danaam finxit: fictumque probavit
Crimen, et ostendit, quod jam præfoderat, aurum

Ergo aut exsilio vires subduxit Achivis,
Aut nece. Sic pugnat, sic est metuendus, Ulysses.
Qui, licèt eloquio fidum quoque Nestora vincat,
Haud tamen efficiet, desertum ut Nestora crimen
Esse rear nullum. Qui, cùm imploraret Ulyssem
Vulnere tardus equi, fessusque senilibus annis,
Proditus a socio est. Non hæc mihi crimina fingi
Scit bene Tydides: qui nomine sæpe vocatum
Corripuit; trepidoque fugam exprobravit amico.
Adspiciunt oculis superi mortalia justis.
En eget auxilio, qui non tulit: utque reliquit,
Sic linquendus erat. Legem sibi dixerat ipse.
Conclamat socios. Adsum; videoque trementem,
Pallentemque metu, ac trepidantem morte futurâ.
Opposui molem clypei; texique jacentem;
Servavique animam (minimum est hoc laudis) inertem.
Si perstas certare, locum redeamus in ullum:
Redde hostem, vulnusque tuum, solitumque timorem
Post clypeumque late: et mecum contende sub illo.
At postquam eripui; cui standi vulnera vires
Non dederant, nullo tardatus vulnere fugit.
Hector adest, secumque deos in prœlia ducit:
Quâque ruit, non tu tantùm terreris, Ulysse,
Sed fortes etiam: tantum trahit ille timoris.
Hunc ego sanguineæ successu cædis ovantem
Cominus ingenti resupinum pondere fudi.
Hunc ego poscentem, cum quo concurreret, unus
Sustinui; sortemque meam vovistis, Achivi:
Et vestræ valuêre preces. Si quæritis hujus
Fortunam pugnæ; non sum superatus ab illo.
Ecce ferunt Troës ferrumque, ignemque, Jovemque
In Danaas classes: ubi nunc facundus Ulysses?
Nempe ego mille meo protexi pectore puppes,
Spem vestri reditûs. Date tot pro navibus arma.
Quòd si vera licet mihi dicere; quæritur istis,
Quàm mihi, major honos: conjunctaque gloria nostra est,
Atque Ajax armis, non Ajaci arma petuntur.
Conferat his Ithacus Rhesum, imbellemque Dolona,

Priamidenque Helenum raptâ cum Pallade captum.
Luce nihil gestum, nihil est Diomede remoto:
Si semel ista datis meritis tam vilibus arma ;
Dividite: et major pars sit Diomedis in illis.
Quò tamen hæc Ithaco? qui clàm, qui semper inermis
Rem gerit: et furtis incautum decipit hostem?
Ipse nitor galeæ, claro radiantis ab auro,
Insidias prodet, manifestabitque latentem.
Sed neque Dulichius sub Achillis casside vertex
Pondera tanta feret: nec non onerosa gravisque
Pelias esse potest imbellibus hasta lacertis:
Nec clypeus, vasti cælatus imagine mundi,
Conveniet timidæ, natæque ad furta sinistræ.
Debilitaturum quid te petis, improbe, munus?
Quod tibi si populi donaverit error Achivi,
Cur spolieris, erit; non, cur metuaris ab hoste.
Et fuga (quâ solâ cunctos, timidissime, vincis)
Tarda futura tibi est, gestamina tanta trahenti.
Adde, quòd iste tuus, tam raró prœlia passus,
Integer est clypeus: nostro, qui tela ferendo
Mille patet plagis, novus est successor habendus.
Denique, quid verbis opus est? spectemur agendo
Arma viri fortis medios mittantur in hostes;
Inde jubete peti: et referentem ornate relatis.'
Finierat Telamone satus; vulgique secutum
Ultima murmur erat: donec Laërtius heros
Adstitit: atque oculos paulum tellure moratos
Sustulit ad proceres; exspectatoque resolvit
Ora sono: neque abest facundis gratia dictis.
'Si mea cum vestris valuissent vota, Pelasgi,
Non foret ambiguus tanti certaminis hæres:
Tuque tuis armis, nos te poteremur, Achille.
Quem quoniam non æqua mihi vobisque negârunt
Fata;' (manuque simul veluti lacrymantia tersit
Lumina) 'quis magno meliùs succedat Achilli,
Quàm per quem magnus Danaïs successit Achilles?
Huic modò ne prosit, quòd, ut est, hebes esse videtur:

Neve mihi noceat, quòd vobis semper, Achivi,
Profuit ingenium: meaque hæc facundia, si qua est,
Quæ nunc pro domino, pro vobis sæpe locuta est,
Invidiâ careat: bona nec sua quisque recuset.
Nam genus, et proavos, et quæ non fecimus ipsi,
Vix ea nostra voco. Sed enim, quia retulit Ajax
Esse Jovis pronepos, nostri quoque sanguinis auctor
Jupiter est: totidemque gradus distamus ab illo.
Nam mihi Laërtes pater est, Arcesius illi,
Jupiter huic: neque in his quisquam damnatus e exsul.
Est quoque per matrem Cyllenius addita nobis
Altera nobilitas: deus est in utroque parente.
Sed neque materno quòd sum generosior ortu,
Nec mihi quòd pater est fraterni sanguinis insons,
Proposita arma peto: meritis expendite causam.
Dummodo quòd fratres Telamon Peleusque fuerunt,
Ajacis meritum non sit: nec sanguinis ordo,
Sed virtutis honos spoliis quæratur in istis.
Aut si proximitas primusque requiritur hæres;
Est genitor Peleus, est Pyrrhus filius illi.
Quis locus Ajaci? Phthiam Scyronve ferantur.
Nec minùs est isto Teucer patruelis Achilli.
Num petit ille tamen? num sperat, ut auferat arma?
Ergo operum quoniam nudum certamen habetur;
Plura quidem feci, quàm quæ comprendere dictis
In promptu mihi sit: rerum tamen ordine ducar
Præscia venturi genitrix Nerëia leti
Dissimulat cultu natum. Deceperat omnes,
In quibus Ajacem, sumptæ fallacia vestis.
Arma ego fœmineis, animum motura virilem,
Mercibus inserui. Neque adhuc projecerat heros
Virgineos habitus, cùm parmam hastamque tenenti,
"Nate deâ," dixi, "tibi se peritura reservant
Pergama. Quid dubitas ingentem evertere Trojam?"
Injecique manum, fortemque ad fortia misi.
Ergo opera illius mea sunt. Ego Telephon hastâ
Pugnantem domui: victum orantemque refeci.

Quid Thebæ cecidêre, meum est; me credite Lesbon,
Me Tenedon, Chrysenque, et Cyllan, Apollinis urbes,
Et Syron cepisse: meâ concussa putate
Procubuisse solo Lyrnesia mœnia dextrâ.
Utque alias taceam; qui sævum perdere posset
Hectora, nempe dedi: per me jacet inclytus Hector.
Illis hæc armis, quibus est inventus Achilles,
Arma peto: vivo dederam, post fata reposco.
Ut dolor unius Danaos pervenit ad omnes,
Aulidaque Euboïcam complêrunt mille carinæ;
Exspectata diu, nulla, aut contraria classi.
Flamina sunt: duræque jubent Agamemnona sortes
Immeritam sævæ natam mactare Dianæ.
Denegat hoc genitor, divisque irascitur ipsis:
Atque in rege tamen pater est. Ego mite parentis
Ingenium verbis ad publica commoda verti.
Nunc equidem fateor, fassoque ignoscat Atrides;
Difficilem tenui sub iniquo judice causam.
Hunc tamen utilitas populi, fratrisque, datique
Summa movet sceptri, laudem ut cum sanguine penset.
Mittor et ad matrem: quæ non hortanda, sed astu
Decipienda fuit. Quò si Telamonius îsset,
Orba suis essent etiamnum lintea ventis.
Mittor et Iliacas audax orator ad arces:
Visaque et intrata est altæ mihi curia Trojæ.
Plenaque adhuc erat illa viris. Interritus egi,
Quam mihi mandârat communis Græcia, causam:
Accusoque Parin, prædamque, Helenamque reposco:
Et moveo Priamum, Priamoque Antenora junctum.
At Paris, et fratres, et qui rapuêre sub illo,
Vix tenuêre manus (scis hoc, Menelaë) nefandas:
Primaque lux nostri tecum fuit illa pericli.
Longa referre mora est, quæ consilioque manuque
Utiliter feci spatiosi tempore belli.
Post acies primas, urbis se mœnibus hostes
Continuêre diu; nec aperti copia Martis
Ulla fuit: decimo demum pugnavimus anno.
Quid facis interea, qui nil nisi prœlia nôsti?

Quis tuus usus erat? Nam si mea facta requiris,
Hostibus insidior: fossas munimine cingo:
Consolor socios, ut longi tædia belli
Mente ferant placidâ: doceo quo simus alendi,
Armandive modo: mittor quò postulat usus.
Ecce Jovis monitu, deceptus imagine somni,
Rex jubet incepti curam dimittere belli.
Ille potest auctore suam defendere causam.
Non sinat hoc Ajax, delendaque Pergama poscat:
Quodque potest, pugnet. Cur non remoratur ituros?
Cur non arma capit? Dat, quod vaga turba sequatur?
Non erat hoc nimium nunquam nisi magna loquenti.
Quid, quòd et ipse fugis? vidi, puduitque videre,
Cùm tu terga dares, inhonestaque vela parares.
Nec mora, 'Quid facitis? quæ vos dementia,' dixi,
'Concitat, o socii, captam dimittere Trojam?
Quidve domum fertis decimo, nisi dedecus, anno?'
Talibus atque aliis, in quæ dolor ipse disertum
Fecerat, aversos profugâ de classe reduxi.
Convocat Atrides socios terrore paventes:
Nec Telamoniades etiam nunc hiscere quidquam
Ausit: at ausus erat reges incessere dictis
Thersites, etiam per me haud impunè, protervis.
Erigor, et trepidos cives exhortor in hostem:
Amissamque meâ virtutem voce reposco.
Tempore ab hoc, quodcunque potest fecisse videri
Fortiter iste, meum est: qui dantem terga retraxi.
Denique de Danaïs quis te laudatve petitve?
At sua Tydides mecum communicát acta:
Me probat: et socio semper confidit Ulysse.
Est aliquid, de tot Grajorum millibus, unum
A Diomede legi. Nec me sors ire jubebat:
Sic tamen et spreto noctisque hostisque periclo,
Ausum eadem, quæ nos, Phrygiâ de gènte Dolona
Interimo: non antè tamen, quàm cuncta coëgi
Prodere: et edidici quid perfida Troja pararet.
Omnia cognôram: nec, quod specularer, habebam:
Et jam præmissâ poteram cum laude reverti.
Haud contentus eâ, petii tentoria Rhesi,

Inque suis ipsum castris comitesque peremi.
Atque ita captivo victor votisque potitus,
Ingredior curru lætos imitante triumphos;
Cujus equos pretium pro nocte poposcerat hostis.
Arma negate mihi: fueritque benignior Ajax.
Quid Lycii referam Sarpedonis agmina ferro
Devastata meo? Cum multo sanguine fudi
Cœranon, Hippasiden, et Alastoraque, Chromiumque,
Alcandrumque, Haliumque, Noëmonaque, Prytaninque,
Exitioque dedi cum Chersidamante Thoona,
Et Charopen, fatisque immitibus Ennomon actum.
Quique minùs celebres nostrâ sub mœnibus urbis
Procubuêre manu. Sunt et mihi vulnera, cives,
Ipso pulchra loco: nec vanis credite verbis:
Aspicite en!' (vestemque manu diducit) et, 'Hæc sunt
Pectora semper,' ait, 'vestris exercita rebus.
At nihil impendit per tot Telamonius annos
Sanguinis in socios: et habet sine vulnere corpus.
Quid tamen hoc refert, si se pro classe Pelasgâ
Arma tulisse refert contra Troasque Jovemque?
Confiteorque, tulit: neque enim bene facta malignè
Detrectare meum est: sed nec communia solus
Occupet, atque aliquem vobis quoque reddat honorem.
Repulit Actorides, sub imagine tutus Achillis,
Trõas ab arsuris cum defensore carinis.
Ausum etiam Hectoreo solum concurrere Marti
Se putat, oblitus regisque, ducumque, meique;
Nonus in officio, et prælatus munere sortis.
Sed tamen eventus vestræ, fortissime, pugnæ
Quis fuit? Hector abit violatus vulnere nullo.
Me miserum, quanto cogor meminisse dolore
Temporis illius; quo, Grajûm murus, Achilles
Procubuit! Nec me lacrymæ, luctusve, timorve
Tardârunt, quin corpus humo sublime referrem.
His humeris, his, inquam, humeris ego corpus Achillis
Et simul arma tuli: quæ nunc quoque ferre laboro.
Sunt mihi, quæ valeant in talia pondera, vires:
Est animus vestros certè sensurus honores.

Scilicet idcirco pro gnato cærula mater
Ambitiosa suo fuit, ut cœlestia dona,
Artis opus tantæ, rudis et sine pectore miles
Indueret? neque enim clypei cælamina nôrit,
Oceanum, et terras, cumque alto sidera cœlo,
Pleïadasque, Hyadasque, immunemque æquoris Arcton,
Diversasque urbes, nitidumque Orionis ensem.
Postulat ut capiat, quæ non intelligit, arma.
Quid? quòd me, duri fugientem munera belli,
Arguit incepto serum accessisse labori?
Nec se magnanimo maledicere sentit Achilli?
Si simulâsse vocat crimen, simulavimus ambo.
Si mora pro culpâ est; ego sum maturior illo.
Me pia detinuit conjux: pia mater Achillen:
Primaque sunt illis data tempora, cætera vobis.
Haud timeo, si jam nequeo defendere crimen
Cum tanto commune viro. Deprensus Ulyssis
Ingenio tamen ille; at non Ajacis, Ulysses.
Neve in me stolidæ convicia fundere linguæ
Admiremur eum: vobis quoque digna pudore
Objicit. An falso Palameden crimine turpe
Accusâsse mihi, vobis damnâsse decorum est?
Sed neque Naupliades facinus defendere tantum,
Tamque patens, valuit: nec vos audîstis in illo
Crimina; vidistis: pretioque objecta patebant.
Nec Pœantiaden, quòd habet Vulcania Lemnos,
Esse reus merui: factum defendite vestrum:
Consensistis enim: nec me suasisse negabo,
Ut se subtraheret bellique viæque labori,
Tentaretque feros requie lenire dolores.
Paruit; et vivit. Non hæc sententia tantùm
Fida, sed et felix; cùm sit satìs, esse fidelem.
Quem quoniam vates delenda ad Pergama poscunt,
Ne mandate mihi: meliùs Telamonius ibit,
Eloquioque virum morbis irâque furentem
Molliet, aut aliquâ producet callidus arte.
Antè retro Simoïs fluet, et sine frondibus Ide
Stabit, et auxilium promittet Achaïa Trojæ,
Quàm, cessante meo pro vestris pectore rebus,

Ajacis stolidi Danaïs sollertia prosit.
Sis licèt infestus sociis, regique, mihique,
Dure Philoctete; licèt exsecrere, meumque
Devoveas sine fine caput; cupiasque dolenti
Me tibi fortè dari, nostrumque haurire cruorem;
[Utque tui mihi, sic fiat tibi copia nostri:]
Te tamen aggrediar: [mecumque reducere nitar.]
Tamque tuis potiar (faveat Fortuna) sagittis,
Quàm sum Dardanio, quem cepi, vate potitus:
Quàm responsa deûm, Trojanaque fata, retexi:
Quàm rapui Phrygiæ signum penetrale Minervæ
Hostibus e mediis. Et se mihi comparat Ajax?
Nempe capi Trojam prohibebant fata sine illis.
Fortis ubi est Ajax? ubi sunt ingentia magni
Verba viri? Cur hîc metuis? cur audet Ulysses
Ire per excubias, et se committere nocti?
Perque feros enses, non tantùm mœnia Troum,
Verùm etiam summas arces intrare, suâque
Eripere æde deam, raptamque efferre per hostes?
Quæ nisi fecissem, frustrà Telamone creatus
Gestâsset lævâ taurorum tergora septem.
Illâ nocte mihi Trojæ victoria parta est:
Pergama tum vici, cùm vinci posse coëgi.
Desine Tydiden vultuque et murmure nobis
Ostentare meum: pars est sua laudis in illis.
Nec tu, cùm sociâ clypeum pro classe tenebas,
Solus eras: tibi turba comes, mihi contigit unus.
Qui, nisi pugnacem sciret sapiente minorem
Esse, nec indomitæ deberi præmia dextræ,
Ipse quoque hæc peteret: peteret moderatior Ajax,
Eurypylusque ferox, claroque Andremone natus:
Nec minùs Idomeneus, patriâque creatus eâdem
Meriones: peteret majoris frater Atridæ.
Quippe manu fortes (nec sunt tibi Marte secundi)
Consiliis cessêre meis. Tibi dextera bello
Utilis; ingenium est, quod eget moderamine nostri.
Tu vires sine mente geris: mihi cura futuri est.
Tu pugnare potes: pugnandi tempora mecum
Eligit Atrides: tu tantùm corpore prodes;

Nos animo: quantoque ratem qui temperat, anteit
Remigis officium; quanto dux milite major;
Tanto ego te supero. Nec non in corpore nostro
Pectora sunt potiora manu: vigor omnis in illis.
At vos, o proceres, vigili date præmia vestro;
Proque tot annorum curâ, quos anxius egi,
Hunc titulum meritis pensandum reddite nostris.
Jam labor in fine est: obstantia fata removi:
Altaque, posse capi faciendo, Pergama cepi.
Per spes nunc socias, casuraque mœnia Troum,
Perque deos oro, quos hosti nuper ademi;
Per, si quid superest, quod sit sapienter agendum;
Si quid adhuc audax, ex præcipitique petendum;
Si Trojæ fatis aliquid restare putatis;
Este mei memores: aut si mihi non datis arma;
Huic date.' Et ostendit signum fatale Minervæ.
Mota manus procerum est: et, quid facundia posset,
Re patuit; fortisque viri tulit arma disertus.
Hectora qui solus, qui ferrum, ignemque, Jovemque
Sustinuit toties; unam non sustinet iram:
Invictumque virum vincit dolor. Arripit ensem:
Et, 'Meus hic certè est. An et hunc sibi poscet Ulysses?
Hoc,' ait, 'utendum est in me mihi: quique cruore
Sæpe Phrygum maduit, domini nunc cæde madebit:
Ne quisquam Ajacem possit superare, nisi Ajax.'
Dixit: et in pectus, tum denique vulnera passum,
Quâ patuit ferro, letalem condidit ensem:
Nec valuêre manus infixum educere telum:
Expulit ipse cruor: rubefactaque sanguine tellus
Purpureum viridi genuit de cespite florem,
Qui priùs Œbalio fuerat de vulnere natus.
Litera communis mediis pueroque viroque
Inscripta est foliis: hæc nominis, illa querelæ.

OVIDII EPISTOLÆ.

AD MAXIMUM.

Suscipe, Romanæ facundia, Maxime, linguæ,
Difficilis caussæ mite patrocinium.
Est mala; confiteor: sed te bona fiet agente.
Lenia pro misera fac modo verba fuga.
Nescit enim Cæsar, quamvis deus omnia norit,
Ultimus hic qua sit conditione locus.
Magna tenent illud numen molimina rerum:
Hæc est cœlesti pectore cura minor.
Nec vacat, in qua sint positi regione Tomitæ,
Quærere, finitimo vix loca nota Getæ;
Aut quid Sauromatæ faciant, quid Jazyges acres,
Cultaque Oresteæ Taurica terra deæ:
Quæque aliæ gentes, ubi frigore constitit Ister,
Dura meant celeri terga per amnis equo.
Maxima pars hominum nec te, pulcherrima, curat,
Roma, nec Ausonii militis arma timet.
Dant illis animos arcus plenæque pharetræ;
Quamque libet longis cursibus aptus equus;
Quodque sitim didicere diù tolerare famemque;
Quodque sequens nullas hostis habebit aquas.
Ira viri mitis non me misisset in istam,
Si satis hæc illi nota fuisset humus:
Nec me, nec quemquam Romanum gaudet ab hoste,
Meque minus, vitam cui dedit ipse, capi.
Noluit, ut poterat, minimo me perdere nutu.
Nil opus est ullis in mea fata Getis.
Sed neque, cur morerer, quidquam mihi comperit actum:
Nec minus infestus, quam fuit, esse potest.
Tunc quoque nil fecit, nisi quod facere ipse coëgi,
Pæne etiam merito parcior ira meo.

Dî faciant igitur, quorum justissimus ipse est,
Alma nihil majus Cæsare terra ferat:
Utque diù sub eo sit publica sarcina rerum,
Perque manus hujus tradita gentis eat.
At tu tàm placido, quàm nos quoque sensimus illum,
Judice pro lacrimis ora resolve meis.
Non petito ut benè sit, sed uti malè tutiùs; utque
Exsilium sævo distet ab hoste meum:
Quamque dedere mihi præsentia numina vitam,
Non adimat stricto squalidus ense Getes:
Denique, si moriar, subeam pacatius arvum,
Ossa nec a Scythica nostra premantur humo:
Nec malè compositos, ut scilicet exsule dignum est,
Bistonii cineres ungula pulset equi:
Et ne, si superest aliquis post funera sensus,
Terreat ut manes Sarmatis umbra meos.
Cæsaris hæc animum poterant audita movere,
Maxime, movissent si tamen ante tuum.
Vox, precor, Augustas pro me tua molliat aures,
Auxilio trepidis quæ solet esse reis:
Assuetaque tibi doctæ dulcedine linguæ
Æquandi Superis pectora flecte viri.
Non tibi Theromedon crudusve rogabitur Atreus;
Quique suis homines pabula fecit equis.
Sed piger ad pœnas princeps, ad præmia velox:
Quique dolet, quotiès cogitur esse ferox:
Qui vincit semper, victis ut parcere possit;
Clausit et æterna civica bella sera:
Multa metu pœnæ, pœna qui pauca, coërcet;
Et jacit invita fulmina rara manu.
Ergo tam placidas orator missus ad aures,
Ut propior patriæ sit fuga nostra, roga.
Ille ego sum, qui te colui; quem festa solebat
Inter convivas mensa videre tuos:
Ille ego, qui duxi vestros Hymenæon ad ignes;
Et cecini fausto carmina digna toro:
Cujus te solitum memini laudare libellos,
Exceptis, domino qui nocuere suo:
Cui tua nonnunquam miranti scripta legebas.

Ille ego, de vestra cui data nupta domo est.
Hanc probat, et primo dilectam semper ab ævo
  Est inter comites Marcia censa suas;
Inque suis habuit matertera Cæsaris ante:
  Quarum judicio si qua probata, proba est.
Ipsa sua melior fama, laudantibus istis,
  Claudia divina non eguisset ope.
Nos quoque præteritos sine labe peregimus annos,
  Proxima pars vitæ transilienda meæ.
Sed de me ut sileam, conjux mea sarcina vestra est
  Non potes hanc salva dissimulare fide.
Confugit hæc ad vos, vestrasque amplectitur aras;
  (Jure venit cultos ad sibi quisque deos:)
Flensque rogat, precibus lenito Cæsare vestris,
  Busta sui fiant ut propiora viri.

AD RUFINUM.

Hanc tibi Naso tuus mittit, Rufine, salutem;
  Qui miser est, ulli si suus esse potest.
Reddita confusæ nuper solatia menti
  Auxilium nostris spemque dedere malis.
Utque Machaoniis Pœantius artibus heros
  Lenito medicam vulnere sensit opem:
Sic ego mente jacens, et acerbo saucius ictu,
  Admonitu cœpi fortior esse tuo:
Et jam deficiens sic ad tua verba revixi,
  Ut solet infuso vena redire mero.
Non tamen exhibuit tantas facundia vires,
  Ut mea sint dictis pectora sana tuis.
Ut multum demas nostro de pectore curæ;
  Non minus exhausto, quod superabit, erit.
Tempore ducetur longo fortasse cicatrix.
  Horrent admotas vulnera cruda manus.
Non est in medico semper, relevetur ut æger:
  Interdum docta plus valet arte malum.
Cernis, ut è molli sanguis pulmone remissus
  Ad Stygias certo limite ducat aquas.

Afferat ipse licet sacras Epidaurius herbas;
  Sanabit nulla vulnera cordis ope.
Tollere nodosam nescit medicina podagram,
  Nec formidatis auxiliatur aquis.
Cura quoque interdum nulla est medicabilis arte,
  Aut, ut sit, longa est extenuanda mora.
Quum bene firmarunt animum præcepta jacentem,
  Sumtaque sunt nobis pectoris arma tui;
Rursus amor patriæ, ratione valentior omni,
  Quod tua texuerunt scripta, retexit opus.
Sive pium vis hoc, sive hoc muliebre vocari;
  Confiteor misero molle cor esse mihi.
Non dubia est Ithaci prudentia: sed tamen optat
  Fumum de patriis posse videre focis.
Nescio qua natale solum dulcedine cunctos
  Ducit, et immemores non sinit esse sui.
Quid meliùs Roma? Scythico quid frigore pejus?
  Hùc tamen ex illa barbarus urbe fugit.
Quùm benè sit clausæ cavea Pandione natæ;
  Nititur in silvas illa redire suas.
Assuetos tauri saltus, assueta leones
  (Nec feritas illos impedit) antra petunt.
Tu tamen exsilii morsus è pectore nostro
  Fomentis speras cedere posse tuis.
Effice, vos ipsi ne tam mihi sitis amandi,
  Talibus ut levius sit caruisse malum.
At, puto, quâ fueram genitus, tellure carenti,
  In tamen humano contigit esse loco?
Orbis in extremi jaceo desertus arenis,
  Fert ubì perpetuas obruta terra nives.
Non ager hic pomum, non dulces educat uvas
  Non salices ripa, robora monte virent.
Neve fretum laudes terra magis, æquora semper
  Ventorum rabie, solibus orba, tument.
Quocunque adspicias, campi cultore carentes,
  Vastaque, quæ nemo vindicet, arva jacent.
Hostis adest dextra lævaque a parte timendus,
  Vicinoque metu terret utrumque latus.
Altera Bistonias pars est sensura sagittas,

Altera Sarmatica spicula missa manu.
I nunc, et veterum nobis exempla virorum,
Qui forti casum mente tulere, refer:
Et grave magnanimi robur mirare Rutilî,
Non usi reditus conditione dati.
Smyrna virum tenuit, non Pontus et hostica tellus;
Pæne minus nullo Smyrna petenda loco.
Non doluit patria Cynicus procul esse Sinopeus:
Legit enim sedes, Attica terra, tuas.
Arma Neoclides qui Persica contudit armis,
Argolica primam sensit in urbe fugam.
Pulsus Aristides patria Lacedæmona fugit:
Inter quas dubium, quæ prior esset, erat.
Cæde puer facta Patroclus Opunta relinquit,
Thessalicamque adiit hospes Achillis humum.
Exul ab Hæmonia Pirenida cessit ad undam,
Quo duce trabs Colcha sacra cucurrit aqua.
Liquit Agenorides Sidonia mœnia Cadmus,
Poneret ut muros in meliore loco.
Venit ad Adrastum Tydeus Calydone fugatus;
Et Teucrum Veneri grata recepit humus.
Quid referam veteres Romanæ gentis, apud quos
Exsulibus tellus ultima Tibur erat?
Persequar ut cunctos, nulli datus omnibus ævis
Tam procul à patria est, horridiorve locus.
[Quo magis ignoscat sapientia vestra dolenti,
Qui facit ex dictis non ita multa tuis.]
Nec tamen inficior, si possent nostra coire
Vulnera, præceptis posse coire tuis.
Sed vereor, ne me frustrà servare labores,
Neu juver admota perditus æger ope.
Nec loquor hæc, quia sit major prudentia nobis;
Sed sim, quàm medico, notior ipse mihi.
Ut tamen hoc ita sit, munus tua grande voluntas
Ad me pervenit; consuluique boni.

AD UXOREM.

Jam mihi deterior canis adspergitur ætas,
  Jamque meos vultus ruga senilis arat:
Jam vigor et quasso languent in corpore vires;
  Nec, juveni lusus qui placuere, juvant
Nec, si me subitò videas, agnoscere possis:
  Ætatis facta est tanta ruina meæ.
Confiteor facere hoc annos; sed et altera caussa est
  Anxietas animi continuusque labor.
Nam mea per longos sì quis mala digerat annos,
  Crede mihi, Pylio Nestore major ero.
Cernis ut in duris (et quid bove firmius?) arvis
  Fortia taurorum corpora frangat opus.
Quæ nunquam vacuo solita est cessare novali,
  Fructibus assiduis lassa senescit humus.
Occidet, ad Circi si quis certamina semper,
  Non intermissis cursibus, ibit equus.
Firma sit illa licèt, solvetur in æquore navis,
  Quæ nunquam liquidis sicca carebit aquis.
Me quoque debilitat series immensa malorum,
  Ante meum tempus cogit et esse senem.
Otia corpus alunt; animus quoque pascitur illis.
  Immodicus contra carpit utrumque labor.
Adspice, in has partes quia venerit Æsone natus,
  Quam laudem a sera posteritatė ferat.
At labor illius nostro leviorque minorque:
  Si modo non verum nomina magna premunt.
Ille est in Pontum, Pelia mittente, profectus,
  Qui vix Thessaliæ fine timendus erat.
Cæsaris ira mihi nocuit; quem Solis ab ortu
  Solis ad occasus utraque terra timet.
Junctior Hæmonia est Ponto, quam Roma, sinistro;
  Et brevius, quam nos, ille peregit iter.
Ille habuit comites primos telluris Achivæ:
  At nostram cuncti destituere fugam.
Nos fragili ligno vastum sulcavimus æquor:
  Quæ tulit Æsoniden, firma carina fuit.

Non mihi Tiphys erat rector; nec Agenore natus
  Quas fugerem, docuit, quas sequerer que vias.
Illum tutata est cum Pallade regia Juno:
  Defendere meum numina nulla caput.
Illum furtivæ juvere Cupidinis artes;
  Quas a me vellem non didicisset amans.
Ille domum rediit: nos his moriemur in arvis,
  Perstiterit læsi si gravis ira dei.
Durius est igitur nostrum, fidissima conjux,
  Illo, quod subiit Æsone natus, onus.
Te quoque, quam juvenem discedens Urbe reliqui,
  Credibile est nostris insenuisse malis.
O ego, dî faciant, talem te cernere possim,
  Caraque mutatis oscula ferre genis;
Amplectique meis corpus non pingue lacertis,
  Et, Gracile hoc fecit, dicere, cura mei;
Et narrare meos flenti flens ipse labores;
  Sperato nunquam colloquioque frui:
Turaque Cæsaribus cum conjuge Cæsare digna,
  Dis veris, memori debita ferre manu!
Memnonis hanc utinam, lenito Principe, mater
  Quam primum roseo provocet ore diem!

AD MAXIMUM.

Ille tuos quondam non ultimus inter amicos,
  Ut sua verba legas, Maxime, Naso rogat.
In quibus ingenium desiste requirere nostrum,
  Nescius exsilii ne videare mei.
Cernis, ut ignavum corrumpant otia corpus?
  Ut capiant vitium, ni moveantur, aquæ?
Sic mihi, si quis erat, ducendi carminis usus
  Déficit; estque minor factus inerte situ.
Hæc quoque, quæ legitis, (si quid mihi, Maxime, credis,)
  Scribimus invita vixque movente manu.
Non libet in tales animum contendere curas,
  Nec venit in duros Musa vocata Getas.

Ut tamen ipse vides, luctor deducere versum.
  Sed non fit fato mollior ille meo.
Quum relego, scripsisse pudet: quia plurima cerno,
  Me quoque, qui feci, judice digna lini.
Nec tamen emendo: labor hic, quam scribere, major
  Mensque pati durum sustinet ægra nihil.
Scilicet incipiam lima mordacius uti,
  Et sub judicium singula verba vocem?
Torquet enim Fortuna parum, nisi Nilus in Hebrum
  Confluat? et frondes Alpibus addat Athos?
Parcendum est animo miserabile vulnus habenti.
  Subducunt oneri colla perusta boves.
At, puto, fructus adest, justissima caussa laborum:
  Et sata cum multo fœnore reddit ager?
Tempus ad hoc nobis (repetas licet omnia) nullum
  Profuit, atque utinam non nocuisset opus.
Cur igitur scribam, miraris? Miror et ipse;
  Et mecum quæro sæpè, quid inde petam.
An populus vere sanos negat esse poëtas,
  Sumque fides hujus maxima vocis ego?
Qui, sterili toties quùm sim deceptus ab arvo,
  Damnosa persto condere semen humo.
Scilicet est cupidus studiorum quisque suorum;
  Tempus et assueta ponere in arte juvat.
Saucius evitat pugnas gladiator, et idem
  Immemor antiqui vulneris arma capit.
Nil sibi cum pelagi dicit fore naufragus undis;
  Et ducit remos, qua modo navit aqua.
Sic ego constanter studium non utile servo;
  Et repeto, nollem quas coluisse, deas.
Quid potius faciam? Non sum, qui segnia ducam
  Otia. Mors nobis tempus habetur iners.
Nec juvat in lucem nimio marcescere vino.
  Nec tenet incertas alea blanda manus.
Quùm dedimus somno, quas corpus postulat, horas,
  Quò ponam vigilans tempora longa modo?
Moris an oblitus patrii contendere discam
  Sarmaticos arcus, et trahar arte loci?
Hoc quoque me studium prohibent assumere vires:

Mensque magis gracili corpore nostra valet.
Quùm bene quæsieris, quid agam; magis utile nil est
Artibus his, quæ nil utilitatis habent.
Consequor ex istis casus oblivia nostri.
Hanc messem satis est si mea reddit humus.
Gloria vos acuat, vos, ut recitata probentur
Carmina, Pieriis invigilate choris.
Quod venit ex facili, satis est componere nobis:
Et nimis intenti caussa laboris abest.
Cur ego sollicita poliam mea carmina cura?
An verear, ne non approbet illa Getes?
Forsitan audacter faciam; sed glorior, Istrum
Ingenio nullum majus habere meo.
Hoc, ubi vivendum est, satis est si consequor arvo,
Inter inhumanos esse poëta Getas.
Quid mihi diversum fama contendere in orbem?
Quem Fortuna dedit, Roma sit ille locus.
Hoc mea contenta est infelix Musa theatro.
Sic merui; magni sic voluere dei.
Nec reor hinc istuc nostris iter esse libellis,
Quo Boreas penna deficiente venit.
Dividimur cœlo; quæque est procul urbe Quirini,
Adspicit hirsutos cominus Ursa Getas.
Per tantum terræ, tot aquas vix credere possum
Indicium studii transiliisse mei.
Finge legi, quodque est mirabile, finge placere:
Auctorem certè res juvet ista nihil.
Quid tibi si calida prosit laudere Syene,
Aut ubi Taprobanen Indica tingit aqua?
Altius ire libet? si te distantia longe
Pleïadum laudent signa, quid inde feres?
Sed neque pervenio scriptis mediocribus istuc:
Famaque cum domino fugit ab Urbe suo.
Vosque, quibus perii, tunc quum mea fama sepulta est,
Nunc quoque de nostra morte tacere reor.

OVIDII TRISTIUM.

ELEGIA I.

PARVE, (nec invideo,) sine me, liber, ibis in Urbem:
  Heu mihi, quo domino non licet ire tuo.
Vade, sed incultus, qualem decet exsulis esse,
  Infelix, habitum temporis hujus habe.
Nec te purpureo velent vaccinia succo:
  Non est conveniens luctibus ille color.
Nec titulus minio, nec cedro charta notetur:
  Candida nec nigra cornua fronte geras.
Felices ornent hæc instrumenta libellos.
  Fortunæ memorem te decet esse meæ.
Nec fragili geminæ poliantur pumice frontes:
  Hirsutus sparsis ut videare comis.
Neve liturarum pudeat. Qui viderit illas,
  De lacrimis factas sentiat esse meis.
Vade, liber, verbisque meis loca grata saluta.
  Contingam certe, quò licet, illa pede.
Sì quis, ut in populo nostri non immemor illo,
  Sì quis, qui, quid agam, fortè requiret, erit;
Vivere me dices: salvum tamen esse negabis.
  Id quoque, quod vivam, munus habere dei.
Atque ita te tacitus, quærenti plura, legendum,
  Nè, quæ non opus est, forte loquare, dabis.
Protinus admonitus repetet mea crimina lector;
  Et peragar populi publicus ore reus.
Tu cave defendas, quamvis mordebere dictis.
  Causa patrocinio non bona pejor erit.
Invenies aliquem, qui me suspiret ademtum;
  Carmina nec siccis perlegat ista genis:

Et tacitus secum, nè quis malus audiat, optet,
 Sit mea, lenito Cæsare, pœna levis.
Nos quoque, quisquis erit, ne sit miser ipse, precamur
 Placatos miseris qui volet esse deos:
Quæque volet, rata sint: ablataque Principis ira
 Sedibus in patriis det mihi posse mori.
Ut peragas mandata, liber, culpabere forsan;
 Ingeniique minor laude ferere mei.
Judicis officium est, ut res, ita tempora rerum
 Quærere. Quæsito tempore tutus eris.
Carmina proveniunt animo deducta sereno:
 Nubila sunt subitis tempora nostra malis.
Carmina secessum scribentis et otia quærunt:
 Me mare, me venti, me fera jactat hiems.
Carminibus metus omnis abest: ego perditus ensem
 Hæsurum jugulo jam puto jamque meo.
Hæc quoque quod facio, judex mirabitur æquus;
 Scriptaque cum venia qualiacunque leget.
Da mihi Mæoniden, et tot circumspice casus;
 Ingenium tantis excidet omne malis.
Denique securus famæ, liber, ire memento;
 Nec tibi sit lecto displicuisse pudor.
Non ita se nobis præbet Fortuna secundam,
 Ut tibi sit ratio laudis habenda tuæ.
Donec eram sospes, tituli tangebar amore;
 Quærendique mihi nominis ardor erat.
Carmina nunc si non studiumque, quod obfuit, odi,
 Sit satis. Ingenio sic fuga parta meo.
I tamen, et pro me tu, cui licet, adspice Romam.
 Dî facerent, possem nunc meus esse liber.
Nec te, quod venias magnam peregrinus in Urbem,
 Ignotum populo posse venire puta.
Ut titulo careas, ipso noscere colore.
 Dissimulare velis, te liquet esse meum.
Clàm tamen intrato, ne te mea carmina lædant.
 Non sunt, ut quondam plena favoris erant.
Sì quis erit, qui te, quod sis meus, esse legendum
 Non putet, è gremio rejiciatque suo:
Inspice, dic, titulum. Non sum præceptor Amoris ·

Quas meruit, pœnas jam dedit illud opus.
Forsitan exspectes, an in alta Palatia missum
Scandere jubeam, Cæsareamque domum.
Ignoscant augusta mihi loca, dîque locorum:
Venit in hoc illa fulmen ab arce caput.
Esse quidem memini mitissima sedibus illis
Numina: sed timeo, qui nocuere, deos.
Terretur minimo pennæ stridore columba,
Unguibus, accipiter, saucia facta tuis:
Nec procul à stabulis audet secedere, sì quâ
Excussa est avidi dentibus agna lupi.
Vitaret cœlum Phaëthon, si viveret; et quos
Optarat stultè, tangere nollet equos.
Me quoque, quæ sensi, fateor Jovis arma timere;
Me reor infesto, quum tonat, igne peti.
Quicunque Argolica de classe Capharea fugit,
Semper ab Euboicis vela retorquet aquis.
Et mea cymba, semel vasta percussa procella,
Illum, quo læsa est, horret adire locum.
Ergo, care liber, timida circumspice mente;
Et satis a media sit tibi plebe legi.
Dum petit infirmis nimium sublimia pennis
Icarus, Icariis nomina fecit aquis.
Difficile est tamen, hic remis utaris an aura,
Dicere. Consilium resque locusque dabunt.
Sì poteris vacuo tradi, si cuncta videbis
Mitia, si vires fregerit ira suas;
Sì quis erit, qui te dubitantem et adire timentem
Tradat, et antè tamen pauca loquatur; adi.
Luce bona dominoque tuo felicior ipso
Pervenias illùc; et mala nostra leves.
Namque ea vel nemo, vel qui mihi vulnera fecit,
Solus Achilleo tollere more potest.
Tantum ne noceas, dùm vis prodesse, videto.
Nam spes est animi nostra timore minor.
Quæque quiescebat, ne mota resæviat ira,
Et pœnæ tu sis altera causa, cave.
Quum tamen in nostrum fueris penetrale receptus,
Contigerisque tuam, scrinia parva, domum;

Adspicies illic positos ex ordine fratres,
  Quos studium cunctos evigilavit idem.
Cætera turba palam titulos ostendit apertos;
  Et sua detecta nomina fronte gerit.
Tres procul obscura latitantes parte videbis.
  Hi quoque, quod nemo nescit, amare docent.
Hos tu vel fugias, vel, si satis oris habebis,
  Œdipodas facito Telegonosque voces.
Deque tribus, moneo, siqua est tibi cura parentis,
  Ne quemquam, quamvis ipse docebit, ames.
Sunt quoque mutatæ ter quinque volumina formæ,
  Nuper ab exsequiis carmina rapta meis:
His mando dicas, inter mutata referri
  Fortunæ vultum corpora posse meæ.
Namque ea dissimilis subitò est effecta priori:
  Flendaque nunc, aliquo tempore læta fuit.
Plura quidem mandare tibi, si quæris, habebam,
  Sed vereor tardæ causa fuisse moræ:
Et si, quæ subeunt, tecum, liber, omnia ferres,
  Sarcina laturo magna futurus eras.
Longa via est: propera. Nobis habitabitur orbis
  Ultimus: à terra terra remota mea.

ELEGIA II.

Dî maris et cœli, (quid enim nisi vota supersunt?)
  Solvere quassatæ parcite membra ratis:
Nève, precor, magni subscribite Cæsaris iræ.
  Sæpè, premente deo, fert deus alter opem.
Mulciber in Trojam, pro Troja stabat Apollo:
  Æqua Venus Teucris, Pallas iniqua fuit.
Oderat Ænean propior Saturnia Turno.
  Ille tamen Veneris numine tutus erat.
Sæpe ferox cautum petiit Neptunus Vlixem:
  Eripuit patruo sæpè Minerva suo.
Et nobis aliquod, quàmvis distamus ab illis,
  Quid vetat irato numen adesse deo?

Verba miser frustra non proficientia perdo:
  Ipsa graves spargunt ora loquentis aquæ:
Terribilisque Notus jactat mea dicta; precesque,
  Ad quos mittuntur, non sinit ire deos.
Ergo îdem venti, ne causa lædar in una,
  Velaque nescio quò, votaque nostra ferunt?
Me miserum, quanti montes volvuntur aquarum!
  Jam jam tacturos sidera summa putes.
Quantæ diducto subsidunt æquore valles!
  Jam jam tacturas Tartara nigra putes.
Quocunque adspicio, nihil est nisi pontus et æther;
  Fluctibus hic tumidis, nubibus ille minax.
Inter utrumque fremunt immani murmure venti.
  Nescit, cui domino pareat, unda maris.
Nam modo purpureo vires capit Eurus ab ortu:
  Nunc Zephyrus sero vespere missus adest:
Nunc gelidus sicca Boreas bacchatur ab Arcto;
  Nunc Notus adversa prœlia fronte gerit.
Rector in incerto est, nec quid fugiatve petàtve,
  Invenit. Ambiguis ars stupet ipsa malis.
Scilicet occidimus, nec spes est ulla salutis:
  Dùmque loquor, vultus obruit unda meos.
Opprimet hanc animam fluctus: frustraque precanti
  Ore necaturas accipiemus aquas.
At pia nil aliud quam me dolet exsule conjux:
  Hoc unum nostri scitque gemitque mali.
Nescit in immenso jactari corpora ponto:
  Nescit agi ventis: nescit adesse necem.
O bene, quod non sum mecum conscendere passus;
  Ne mihi mors misero bis patienda foret!
At nunc, ut peream, quoniam caret illa periclo.
  Dimidia certe parte superstes ero.
Heu mihi! quam celeri micuerunt nubila flamma
  Quantus ab æetherio personat axe fragor!
Nec levius laterum tabulæ feriuntur ab undis,
  Quam grave balistæ mœnia pulsat onus.
Qui venit hic fluctus, fluctus supereminet omnes
  Posterior nono est, undecimoque prior.
Non letum timeo: genus est miserabile leti.

Demite naufragium; mors mihi munus erit.
Est aliquid, fatoque suo ferroque cadentem
In solida moriens ponere corpus humo:
Et mandare suis aliqua, et sperare sepulchrum,
Et non æquoreis piscibus esse cibum.
Fingite me dignum tali nece: non ego solus
Hic vehor: immeritos cur mea pœna trahit?
Pro Superi, viridesque dei, quibus æquora curæ!
Utraque jam vestras sistite turba minas:
Quamque dedit vitam mitissima Cæsaris ira,
Hanc sinite infelix in loca jussa feram.
Si, quoniam merui pœnam, me perdere vultis;
Culpa mea est, ipso judice, morte minor.
Mittere me Stygias si jam voluisset ad undas
Cæsar, in hoc vestra non eguisset ope.
Est illi nostri non invidiosa cruoris
Copia: quodque dedit, quum volet, ipse feret.
Vos modo, quos certè nullo, puto, crimine læsi,
Contenti nostris jam, precor, este malis.
Nec tamen, ut cuncti miserum servare velitis,
Quod periit, salvum jam caput esse potest.
Ut mare subsidat, ventisque ferentibus utar;
Ut mihi parcatis: non minus exsul ero.
Non ego divitias avidus sine fine parandi
Latum mutandis mercibus æquor aro:
Nec peto, quos quondam petii studiosus, Athenas:
Oppida non Asiæ non mihi visa prius:
Non ut, Alexandri claram delatus in urbem,
Delicias videam, Nile jocose, tuas.
Quod faciles opto ventos: (quis credere possit?)
Sarmatis est tellus, quam mea vota petunt.
Obligor, ut tangam lævi fera littora Ponti;
Quodque sit à patria tam fuga tarda, queror.
Nescio quò videam positos ut in orbe Tomitas,
Exilii facio per mea vota viam.
Seu me diligitis, tantos compescite fluctus;
Pronaque sint nostræ numina vestra rati:
Seu magis odistis, jussæ me advertite terræ.
Supplicii pars est in regione mei.

Ferte (quid hic facio?) rapidi mea carbasa venti.
  Ausonios fines cur mea vela vident?
Noluit hoc Cæsar: quid, quem fugat ille, tenetis?
  Adspiciat vultus Pontica terra meos.
Et jubet, et merui: nec, quæ damnaverit ille,
  Crimina defendi fasve piumve puto.
Si tamen acta deos nunquam mortalia fallunt:
  A culpa facinus scitis abessa mea.
Immo ita si scitis, si me meus abstulit error,
  Stultaque mens nobis, non scelerata, fuit:
Quamlibet è minimis, domui si favimus illi:
  Si satis Augusti publica jussa mihi;
Hoc duce si dixi felicia sæcula: proque
  Cæsare tura pius Cæsaribusque dedi;
Si fuit hic animus nobis: ita parcite, divi.
  Sin minus; alta cadens obruat unda caput.
Fallor? an incipiunt gravidæ evanescere nubes,
  Victaque mutati frangitur ira maris?
Non casu vos, sed sub conditione vocati,
  Fallere quos non est, hanc mihi fertis opem.

ELEGIA III.

Quum subit illius tristissima noctis imago,
  Quæ mihi supremum tempus in Urbe fuit:
Quum repeto noctem, qua tot mihi cara reliqui,
  Labitur ex oculis nunc quoque gutta meis.
Jam prope lux aderat, qua me discedere Cæsar
  Finibus extremæ jusserat Ausoniæ.
Nec spatium nec mens fuerat satis apta parandi:
  Torpuerant longa pectora nostra mora.
Non mihi servorum, comitis non cura legendi:
  Non aptæ profugo vestis opisve fuit.
Non aliter stupui, quam qui Jovis ignibus ictus
  Vivit, et est vitæ nescius ipse suæ.
Ut tamen hanc animi nubem dolor ipse removit,
  Et tandem sensus convaluere mei;

Alloquor extremum mœstos abiturus amicos,
  Qui modo de multis unus et alter erant.
Uxor amans flentem flens acrius ipsa tenebat;
  Imbre per indignas usque cadente genas.
Nata procul Libycis aberat diversa sub oris,
  Nec poterat fati certior esse mei.
Quocunque adspiceres, luctus gemitusque sonabant:
  Formaque non taciti funeris intus erat.
Femina virque meo, pueri quoque, funere mœrent:
  Inque domo lacrimas angulus omnis habet.
Si licet exemplis in parvo grandibus uti;
  Hæc facies Trojæ, quum caperetur, erat.
Jamque quiescebant voces hominumque canumque:
  Lunaque nocturnos alta regebat equos.
Hanc ego suspiciens, et ab hac Capitolia cernens,
  Quæ nostro frustra juncta fuere Lari:
Numina vicinis habitantia sedibus, inquam,
  Jamque oculis nunquam templa videnda meis;
Dîque relinquendi, quos Urbs habet alta Quirini,
  Este salutati tempus in omne mihi.
Et quamquam sero clypeum post vulnera sumo;
  Attamen hanc odiis exonerate fugam;
Cœlestique viro, quis me deceperit error,
  Dicite; pro culpa nè scelus esse putet.
Ut, quæ sentitis, pœnæ quòque sentiat auctor.
  Placato possim non miser esse deo.
Hac prece adoravi Superos ego: pluribus uxor,
  Singultu medios impediente sonos.
Illa etiam ante Lares prostrata capillis
  Contigit exstinctos ore tremente focos:
Multaque in adversos effudit verba Penates,
  Pro deplorato non valitura viro.
Jamque moræ spatium nox præcipitata negabat,
  Versaque ab axe suo Parrhasis Arctos erat.
Quid facerem? blando patriæ retinebar amore:
  Ultima sed jussæ nox erat illa fugæ.
Ah quoties aliquo dixi properante, Quid urges?
  Vel, quo festines ire, vel unde, vide.
Ah quoties certam me sum mentitus habere

Horam, propositæ quæ foret apta viæ.
Ter limen tetigi; ter sum revocatus: et ipse
Indulgens animo pes mihi tardus erat.
Sæpe, Vale dicto, rursus sum multa locutus;
Et quasi discedens oscula summa dedi.
Sæpe eadem mandata dedi: meque ipse fefelli,
Respicens oculis pignora cara meis.
Denique, Quid propero? Scythia est, quo mittimur inquam:
Roma relinquenda est: utraque justa mora est.
Uxor in æternum vivo mihi viva negatur;
Et domus, et fidæ dulcia membra domus:
Quosque ego dilexi fraterno more sodales,
O mihi Thesea pectora juncta fide!
Dum licet, amplectar: nunquam fortasse licebit
Amplius. In lucro est, quæ datur hora, mihi.
Nec mora: sermonis verba imperfecta relinquo,
Amplectens animo proxima quæque meo.
Dum loquor et flemus, cœlo nitidissimus alto,
Stella gravis nobis, Lucifer ortus erat.
Dividor haud aliter, quam si mea membra relinquam
Et pars abrumpi corpore visa suo est.
[Sic doluit Mettus, tunc quum in contraria versos
Ultores habuit proditionis equos.]
Tum vero exoritur clamor gemitusque meorum;
Et feriunt mœstæ pectora nuda manus.
Tum vero conjux humeris abeuntis inhærens
Miscuit hæc lacrimis tristia dicta meis:
Non potes avelli: simul hinc, simul ibimus ambo:
Te sequar; et conjux exsulis exsul ero.
Et mihi facta via est: et me capit ultima tellus.
Accedam profugæ sarcina parva rati.
Te jubet a patria discedere Cæsaris ira;
Me pietas. Pietas hæc mihi Cæsar erit.
Talia tentabat: sic et tentaverat ante:
Vixque dedit victas utilitate manus.
Egredior, sive illud erat sine funere ferri,
Squalidus imissis hirta per ora comis.
Illa dolore amens tenebris narratur obortis

Semianimis media procubuisse domo;
Utque resurrexit, fœdatis pulvere turpi
  Orinibus, et gelida membra levavit humo;
Se modò, desertos modò deplorasse Penates;
  Nomen et erepti sæpè vocasse viri:
Nec gemuisse minùs, quàm si natæve meumve
  Vidisset structos corpus habere rogos:
Et voluisse mori, et moriendo ponere sensus:
  Respectuque tamen non periise mei.
Vivat: et absentem, quoniam sic fata tulerunt,
  Vivat, et auxilio sublevet usque suo.

ELEGIA IV.

Tingitur Oceano custos Erymanthidos Ursæ,
  Æquoreasque suo sidere turbat aquas:
Nos tamen Ionium non nostra findimus æquor
  Spontè: sed audaces cogimur esse metu.
Me miserum! quantis nigrescunt æquora ventis;
  Erutaque ex imis fervet arena vadis!
Monte nec inferior proræ puppique recurvæ
  Insilit, et pictos verberat unda deos!
Pinea texta sonant; pulsi stridore rudentes:
  Adgemit et nostris ipsa carina malis.
Navita confessus gelidum pallore timorem
  Jam sequitur victus, non regit arte, ratem:
Utque parum validus non proficientia rector
  Cervicis rigidæ frena remittit equo:
Sic non quo voluit, sed quo rapit impetus undæ,
  Aurigam video vela dedisse rati.
Quodnisi mutatas emiserit Æolus auras,
  In loca jam nobis non adeunda ferar.
Nam procul, Illyriis læva de parte relictis,
  Interdicta mihi cernitur Italia.
Desinat in vetitas quæso contendere terras,
  Et mecum magno pareat illa deo.
Dum loquor, et cupio pariter timeoque repelli,
  Increpuit quantis viribus unda latus!

Parcite, cærulei vos saltem numina ponti;
  Infestumque mihi sit satis esse Jovem.
Vos animam sævæ fessam subducite morti:
  Si modo, qui periit, non periisse potest.

ELEGIA V

O mihi post ullos nunquam memorande sodales,
  Et cui præcipue sors mea visa sua est;
Attonitum qui me, memini, carissime, primus
  Ausus es alloquio sustinuisse tuo;
Qui mihi consilium vivendi mite dedisti,
  Quùm foret in misero pectore mortis amor;
Scis bene, cui dicam, positis pro nomine signis;
  Officium nec te fallit, amice, tuum.
Hæc mihi semper erunt imis infixa medullis;
  Perpetuusque animi debitor hujus ero:
Spiritus et vacuas prius hic tenuandus in auras
  Ibit, et in tepido deseret ossa rogo;
Quam subeant animo meritorum oblivia nostro:
  Et longa pietas excidat ista die.
Dî tibi sint faciles, et opis nullius egentem
  Fortunam præstent, dissimilemque meæ.
Si tamen hæc navis vento ferretur amico;
  Ignoraretur forsitan ista fides.
Thesea Pirithous non tam sensisset amicum,
  Si non infernas vivus adisset aquas.
Ut foret exemplum veri Phoceus amoris,
  Fecerunt Furiæ, tristis Oresta, tuæ.
Si non Euryalus Rutulos cecidisset in hostes,
  Hyrtacidæ Niso gloria nulla foret.
Scilicet ut fulvum spectatur in ignibus aurum,
  Tempore sic duro est inspicienda fides.
Dum juvat et vultu ridet Fortuna sereno,
  Indelibatas cuncta sequuntur opes.
At simul intonuit, fugiunt; nec noscitur ulli,
  Agminibus comitum qui modo cinctus erat.
Atque hæc exemplis quondam collecta priorum,
  Nunc mihi sunt propriis cognita vera malis.

Vix duo tresve mihi de tot superestis amici.
  Cætera Fortunæ, non mea turba fuit.
Quo magis, o pauci, rebus succurrite lapsis,
  Et date naufragio littora tuta meo:
Neve metu falso nimium trepidate, timentes,
  Hac offendatur ne pietate deus.
Sæpe fidem adversis etiam laudavit in armis,
  Inque suis amat hanc Cæsar, in hoste probat.
Causa mea est melior, qui non contraria fovi
  Arma, sed hanc merui simplicitate fugam.
Invigiles igitur nostris pro casibus oro,
  Diminui si quà numinis ira potest.
Scire meos casus si quis desiderat omnes,
  Plus, quam quod fieri res sinit, ille petit.
Tot mala sum passus, quot in æthere sidera lucent:
  Parvaque quot siccus corpora pulvis habet.
Multaque credibili tulimus majora, ratamque,
  Quamvis acciderint, non habitura fidem.
Pars etiam quædam mecum moriatur oportet,
  Meque velim possit dissimulante tegi.
Si vox infragilis, pectus mihi firmius esset,
  Pluraque cum linguis pluribus ora forent;
Non tamen idcircò complecterer omnia verbis,
  Materia vires exsuperante meas.
Pro duce Neritio docti mala nostra poëtæ
  Scribite: Neritio nam mala plura tuli.
Ille brevi spatio multis erravit in annis
  Inter Dulichias Iliacasque domos.
Nos, freta sideribus totis distantia mensos,
  Sors tulit in Geticos Sarmaticosque sinus.
Ille habuit fidamque manum, sociosque fideles:
  Me profugum comites deseruere mei.
Ille suam lætus patriam victorque petebat:
  A patria fugio victus et exsul ego.
Nec mihi Dulichium domus est Ithaceve Sameve,
  Pœna quibus non est grandis abesse locis:
Sed quæ de septem totum circumspicit orbem
  Montibus, imperii Roma deûmque locus.
Illi corpus erat durum patiensque laborum:

Invalidæ vires ingenuæque mihi.
Ille erat assidue sævis agitatus in armis:
Assuetus studiis mollibus ipse fui.
Me deus oppressit, nullo mala nostra levante:
Bellatrix illi diva ferebat opem.
Quumque minor Jove sit, tumidis qui regnat in undis;
Illum Neptuni, me Jovis ira premit.
Adde, quod illius pars maxima ficta laborum:
Ponitur in nostris fabula nulla malis.
Denique quæsitos tetigit tamen ille Penates;
Quæque diu petiit, contigit arva tamen:
At mihi perpetuo patria tellure carendum est,
Ni fuerit læsi mollior ira dei.

ELEGIA VIII.

In caput alta suum labentur ab æquore retro
Flumina: conversis Solque recurret equis:
Terra feret stellas: cœlum findetur aratro:
Unda dabit flammas: et dabit ignis aquas:
Omnia naturæ præpostera legibus ibunt:
Parsque suum mundi nulla tenebit iter:
Omnia jam fient, fieri quæ posse negabam:
Et nihil est, de quo non sit habenda fides:
Hæc ego vaticinor, quia sum deceptus ab illo,
Laturum misero quem mihi rebar opem.
Tantane te, fallax, cepere oblivia nostri,
Afflictumque fuit tantus adire timor,
Ut neque respiceres, nec solarere jacentem,
Dure, neque exsequias prosequerere meas?
Illud amicitiæ sanctum ac venerabile nomen
Re tibi pro vili sub pedibusque jacet.
Quid fuit, ingenti prostratum mole sodalem
Visere, et alloquii parte levare tui,
Inque meos si non lacrimas dimittere casus,
Pauca tamen ficto verba dolore loqui,
Idque, quod ignoti faciunt, valedicere saltem,
Et vocem populi publicaque ora sequi?

Denique lugubres vultus, nunquamque videndos
  Cernere supremo, dum licuitque, die?
Dicendumque semel toto non amplius ævo
  Accipere, et parili reddere voce, Vale?
At fecere alii nullo mihi fœdere juncti,
  Et lacrimas animi signa dedere sui.
Quid? nisi convictu causisque valentibus essem
  Temporis et longi vinctus amore tibi?
Quid? nisi tot lusus et tot mea seria nosses,
  Tot nossem lusus seriaque ipse tua?
Quid? si duntaxat Romæ mihi cognitus esses,
  Adscitus toties in genus omne joci?
Cunctane in æquoreos abierunt irrita ventos?
  Cunctane Lethæis mersa feruntur aquis?
Non ego te genitum placida reor urbe Quirini;
  Urbe, meo quæ jam non adeunda pede est:
Sed scopulis, Ponti quos hæc habet ora sinistri:
  Inque feris Scythiæ Sarmaticisque jugis.
Et tua sunt silicis circum præcordia venæ;
  Et rigidum ferri semina pectus habet.
Quæque tibi quondam tenero ducenda palato
  Plena dedit nutrix ubera, tigris erat.
At mala nostra minùs, quàm nunc, aliena putares;
  Duritiæque mihi non agerere reus.
Sed quoniam accedit fatalibus hoc quòque damnis,
  Ut careant numeris tempora prima suis;
Effice, peccati ne sim memor hujus; et illo
  Officium laudem, quo queror, ore tuum.

OVIDII—EX DIVERSIS LOCIS.

ELEGIA

In mortem Psittaci.

Psittacus, Eois imitatrix ales ab Indis,
  Occidit. Exequias ite frequenter, aves.
Ite, piæ volucres, et plangite pectora pennis;
  Et rigido teneras ungue notate genas.
Horrida pro mœstis lanietur pluma capillis:
  Pro longa resonent carmina vestra tuba.
Quid scelus Ismarii quereris, Philomela, tyranni?
  Expleta est annis ista querela suis.
Alitis in raræ miserum devertite funus.
  Magna, sed antiqui, causa doloris Itys.
Omnes, quæ liquido libratis in aëre cursus;
  Tu tamen ante alias, turtur amice, dole.
Plena fuit vobis omni concordia vita,
  Et stetit ad finem longa tenaxque fides.
Quod fuit Argolico juvenis Phoceus Orestæ;
  Hoc tibi, dum licuit, Psittace, turtur erat.
Quid tamen ista fides? quid rari forma coloris?
  Quid vox mutandis ingeniosa sonis?
Quid juvat, ut datus es, nostræ placuisse puellæ?
  Infelix avium gloria, nempe jaces.
Tu poteras virides pennis hebetare zmaragdos,
  Tincta gerens rubro Punica rostra croco.
Non fuit in terris vocum simulantior ales:
  Reddebas blæso tam bene verba sono.
Raptus es invidia. Non tu fera bella movebas:
  Garrulus, et placidæ pacis amator eras.
Ecce, coturnices inter sua prælia vivunt:
  Forsitan et fiant inde frequenter anus.
Plenus eras minimo: nec præ sermonis amore
  In multos poteras ora vacare cibos.

Nux erat esca tibi; causæque papavera somni:
  Pellebatque sitim simplicis humor aquæ.
Vivit edax vultur, ducensque per aëra gyros
  Milûus, et pluviæ graculus auctor aquæ.
Vivit et armiferæ cornix invisa Minervæ;
  Illa quidem sæclis vix moritura novem.
Occidit ille loquax, humanæ vocis imago,
  Psittacus, extremo munus ab orbe datum.
Optima prima fere manibus rapiuntur avaris;
  Implentur numeris deteriora suis.
Tristia Phyllacidæ Thersites funera vidit:
  Jamque cinis, vivis fratibus, Hector erat.
Quid referam timidæ pro te pia vota puellæ;
  Vota, procelloso per mare rapta Noto?
Septima lux aderat, non exhibitura sequentem
  Et stabat vacua jam tibi Parca colo.
Nec tamen ignavo stupuerunt verba palato:
  Clamavit moriens lingua, Corinna, vale.
Colle sub Elysio nigra nemus ilice frondens,
  Udaque perpetuo gramine terra, viret.
Si qua fides dubiis; volucrum locus ille piarum
  Dicitur, obscœnæ quo prohibentur aves.
Illic innocui late pascuntur olores:
  Et vivax Phœnix, unica semper avis.
Explicat ipsa suas ales Junonia pennas:
  Oscula dat cupido blanda columba mari.
Psittacus has inter, nemorali sede receptus,
  Convertit volucres in sua verba pias:
Ossa tegit tumulus: tumulus pro corpore parvus:
  Quo lapsis exiguus par sibi carmen habet.
Colligor ex ipso dominæ placuisse sepulcro.
  Ora fuere mihi plus ave docta loqui.

ELEGIA

Ad Corinnam navigantem.

PRIMA malas docuit, mirantibus æquoris undis,
  Peliaco pinus vertice cæsa vias:

Quæ concurrentes inter temeraria cautes
  Conspicuam fulvo vellere vexit ovem.
O utinam, remo ne quis freta longa moveret,
  Argo funestas pressa bibisset aquas!
Ecce fugit notumque torum, sociosque Penates;
  Fallacesque vias ire Corinna parat.
Quid tibi (me miserum!) Zephyros Eurosque timebo,
  Et gelidum Borean, egelidumque Notum?
Non illic urbes, non tu mirabere silvas:
  Una est injusti cærula forma maris.
Nec medius tenues conchas, pictosve lapillos,
  Pontus habet: bibuli litoris illa mora est.
Litora marmoreis pedibus signanda, puellæ.
  Hactenus est tutum: cætera cæca via est.
Et vobis alii ventorum prælia narrent;
  Quas Scylla infestet, quasve Charybdis aquas:
Et quibus emineant violenta Ceraunia saxis:
  Quo lateant Syrtes, quove Malea sinu.
Hæc alii referant. At vos, quod quisque loquentur,
  Credite: credenti nulla procella nocet.
Sero respicitur tellus, ubi fune soluto
  Currit in immensum panda carina salum.
Navita sollicitus qua ventos horret iniquos,
  Et prope tam letum, quam prope cernit aquam.
Quid si concussas Triton exasperet undas?
  Quam tibi nunc toto nullus in ore color!
Tum generosa voces fœcundæ sidera Ledæ:
  Et, felix, dicas, quam sua terra tenet!
Tutius est mansisse domi; legisse libellos;
  Threïciam digitis increpuisse lyram.
At, si vana ferunt volucres mea dicta procellæ,
  Æqua tamen puppi sit Galatea tuæ.
Vestrum crimen erit talis jactura puellæ,
  Nereïdesque Deæ, Nereïdumque pater.
Vade memor nostri, vento reditura secundo:
  Impleat illa tuos fortior aura sinus.
Tum mare in hæc magnus proclinet litora Nereus:
  Huc venti spirent: huc agat æstus aquas.
Ipsa roges, Zephyri veniant in lintea pleni:

Ipsa tu moveas turgida vela manu.
Primus ego aspiciam notam de litore pinum,
Et dicam, nostros advehit illa Deos.
Illic apposito narrabis multa Lyæo,
Pæne sit ut mediis obruta navis aquis:
Dumque ad me properas, nec iniquæ tempora noctis,
Nec te præcipites extimuisse Notos.
Omnia pro veris credam, sint ficta licebit.
Cur ego non votis blandiar ipse meis?
Hæc mihi quamprimum cœlo nitidissimus alto
Lucifer admisso tempora portet equo.

ELEGIA

Tibulli mortem deflet.

Memnona si mater, mater ploravit Achillem,
Et tangunt magnas tristia fata Deas;
Flebilis indignos, Elegeïa, solve capillos.
Ah nimis ex vero nunc tibi nomen erit!
Ille tui vates operis, tua fama, Tibullus
Ardet in exstructo, corpus inane, rogo.
Ecce, puer Veneris fert eversamque pharetram,
Et fractos arcus, et sine luce facem.
Aspice, demissis ut eat miserabilis alis;
Pectoraque infesta tundat aperta manu.
Excipiunt sparsi lacrymas per colla capilli,
Oraque singultu concutiente sonant.
Fratris in Æneæ sic illum funere dicunt
Egressum tectis, pulcher Jule, tuis.
Nec minus est confusa Venus, moriente Tibullo,
Quam juveni rupit cum ferus inguen aper.
At sacri vates, et Divûm cura vocamur:
Sunt etiam, qui nos numen habere putent.
Scilicet omne sacrum mors importuna profanat:
Omnibus obscuras injicit illa manus.
Quid pater Ismario, quid mater profuit Orpheo?
Carmine quid victas obstupuisse feras?
Ælinon in silvis idem pater, Ælinon, altis
Dicitur invita concinuisse lyra.

Adjice Mæoniden, à quo, ceu fonte perenni,
  Vatum Pieriis ora rigantur aquis;
Hunc quoque summa dies nigro submersit Averno.
  Diffugiunt avidos carmina sola rogos.
Durat opus vatum, Trojani fama laboris,
  Tardaque nocturno tela retexta dolo.
Sic Nemesis longum, sic Delia nomen habebunt:
  Altera cura recens, altera primus amor.
Carminibus confide bonis. Jacet ecce Tibullus:
  Vix manet è tanto parva quod urna capit.
Tene, sacer Vates, flammæ rapuere rogales;
  Pectoribus pasci nec timuere tuis?
Aurea sanctorum potuissent templa Deorum
  Urere, quæ tantum sustinuere nefas.
Avertit vultus, Erycis quæ possidet arces:
  Sunt quoque, qui lacrymas continuisse negent.
Sed tamen hoc melius, quam si Phæacia tellus
  Ignotum vili supposuisset humo.
Hinc certe madidos fugientis pressit ocellos
  Mater; et in cineres ultima dona tulit.
Hinc soror in partem misera cum matre doloris
  Venit, inornatas dilaniata comas.
Cumque tuis sua junxerunt Nemesísque priorque,
  Oscula: nec solos destituere rogos.
Delia discedens, Felicius, inquit, amata
  Sum tibi: vixisti, dum tuus ignis eram.
Cui Nemesis. Quid ais? tibi sint mea damna dolori,
  Me tenuit moriens deficiente manu.
Si tamen è nobis aliquid, nisi nomen et umbra,
  Restat; in Elysia valle Tibullus erit.
Obvius huic venias, hedera juvenilia cinctus
  Tempora, cum Calvo, docte Catulle, tuo.
Tu quoque (si falsum est temerati crimen amici)
  Sanguinis atque animæ, prodige Galle, tuæ.
His comes umbra tua est; si quid modo corporis
    umbra est.
  Auxisti numeros, culte Tibulle, pios.
Ossa quieta, precor, tuta requiescite in urna:
  Et sit humus cineri non onerosa tuo.

C. VALERII
CATULLI VERONENSIS
CARMINA.

AD CORNELIUM NEPOTEM.

1. Cui dono lepidum novum libellum,
Arida modo pumice expolitum?
Corneli, tibi: namque tu solebas
Meas esse aliquid putare nugas,
Jam tum, cum ausus es unus Italorum
Omne ævum tribus explicare chartis
Doctis, Jupiter! et laboriosis.
Quare habe tibi quidquid hoc libelli est,
Qualecumque: quod, ò patrona Virgo,
Plus uno maneat perenne seclo.

LUCTUS IN MORTE PASSERIS.

2. Lugete, ò Veneres, Cupidinesque,
Et quantum est hominum venustiorum.
Passer mortuus est meæ puellæ,
Passer deliciæ meæ puellæ,
Quem plus illa oculis suis amabat.
Nam mellitus erat, suamque norat
Ipsam tam bene, quam puella matrem:
Nec sese à gremio illius movebat;

Sed circumsiliens modo huc, modo illuc,
Ad solam dominam usque pipilabat.
Qui nunc it per iter tenebricosum,
Illuc, unde negant redire quemquam.
At vobis male sit, malæ tenebræ
Orci, quæ omnia bella devoratis:
Tam bellum mihi passerem abstulistis.
O factum male! oh miselle passer,
Tua nunc opera meæ puellæ
Flendo turgiduli rubent ocelli.

AD VERANIUM.

3. VERANNI, omnibus è meis amicis
Antistans mihi millibus trecentis,
Venistine domum ad tuos Penates,
Fratresque unanimos, anumque matrem?
Venisti. O mihi nuntii beati!
Visam te incolumem, audiamque Hiberum
Narrantem loca, facta, nationes,
Ut mos est tuus; applicansque collum,
Jucundum os, oculosque suaviabor.
O quantum est hominum beatiorum,
Quid me lætius est beatiusve!

AD FABULLUM.

4. CŒNABIS bene, mi Fabulle, apud me
Paucis, si tibi Dii favent, diebus;
Si tecum attuleris bonam atque magnam
Cœnam, cum sale et omnibus Cachinis.
Hanc si, inquam, attuleris, venuste noster
Cœnabis bene: nam tui Catulli
Plenus sacculus est aranearum.
Sed contra accipies meros amores,
Seu quid suavius elegantiusve est:
Atque unguentum dabo,
Quod tu cum olfacies, Deos rogabis,
Totum ut te faciant, Fabulle, nasum.

HORTORUM DEUS.

5. Ego hæc, ego arte fabricata rustica,
Ego arida, ò viator, ecce populus
Agellulum hunc, sinistra, tute quem vides,
Herique villulam, hortulumque pauperis
Tuor, malasque furis arceo manus.
Mihi corolla picta vere ponitur:
Mihi rubens arista Sole fervido:
Mihi virente dulcis uva pampino:
Mihique glauca duro oliva frigore.
Meis capella delicata pascuis
In urbem adulta lacte portat ubera:
Meisque pinguis agnus ex ovilibus
Gravem domum remittit ære dexteram:
Tenerque, matre mugiente, vaccula
Deûm profundit ante templa sanguinem.
Proin viator hunc Deum vereberis,
Manumque sorsum habebis. Hoc tibi expedit.

AD VARRUM.

6. Suffenus iste, Varre, quem probe nosti,
Homo est venustus et dicax et urbanus,
Idemque longe plurimos facit versus.
Puto esse ego illi millia aut decem, aut plura
Perscripta: nec sic, ut fit, in palimpsesto
Relata; chartæ regiæ, novi libri,
Novi umbilici, lora rubra, membrana
Directa plumbo, et pumice omnia æquata.
Hæc cum legas, tum bellus ille et urbanus
Suffenus unus caprimulgus, au fossor
Rursus videtur: tantum abhorret, ac mutat.
Hoc quid putemus esse? qui modo scurra,
Aut si quid hac re tritius videbatur,
Idem inficeto est inficetior rure,
Simul poëmata attigit: neque idem unquam
Æque est beatus, ac poëma cum scribit:
Tam gaudet in se, tamque se ipse miratur.

Nimirum idem omnes fallimur; neque est quisquam,
Quem non in aliqua re videre Suffenum
Possis. Suus cuique attributus est error:
Sed non videmus manticæ quod in tergo est.

AD FURIUM.

7. Furi, cui neque servus est, neque arca,
Nec cimex, neque araneus, neque ignis;
Verum est et pater, et noverca, quorum
Dentes vel silicem comesse possunt:
Est pulchre tibi cum tuo parente,
Et cum conjuge lignea parentis.
Nec mirum: bene nam valetis omnes,
Pulchre concoquitis, nihil timetis:
Non incendia, non graves ruinas,
Non facta impia, non dolos veneni,
Non casus alios periculorum.
Atqui corpora sicciora cornu,
Aut, si quid magis aridum est, habetis,
Sole et frigore et esuritione.
Quare non tibi sit bene ac beate?
A te sudor abest, abest saliva,
Mucusque et mala pituita nasi.
Hæc tu commoda tam beata, Furi,
Noli spernere, nec putare parvi:
Et sestertia, quæ soles, precari
Centum desine; nam sat es beatus.

CÆCILIUM INVITAT.

8. Poetæ tenero, meo sodali,
Velim Cæcilio, papyre, dicas,
Veronam veniat, Novi relinquens
Comi mœnia, Lariumque litus.
Nam quasdam volo cogitationes
Amici accipiat sui, meique.
Quare si sapiet, viam vorabit.

IN EGNATIUM.

9. Egnatius, quod candidos habet dentes,
Renidet usquequaque: seu ad rei ventum est
Subsellium, cum orator excitat fletum,
Renidet ille: seu pii ad rogum filii
Lugetur, orba cum flet unicum mater,
Renidet ille: quidquid est, ubicumque est,
Quodcumque agit; renidet. Hunc habet morbum
Neque elegantem, ut arbitror, neque urbanum.
Quare monendus est mihi, bone Egnati:
Si urbanus esses, aut Sabinus, aut Tiburs,
Aut porcus Umber, aut obesus Etruscus,
Aut Lanuvinus ater atque dentatus,
Aut Transpadanus, ut meos quoque attingam,
Aut quilibet, qui puriter lavit dentes;
Tamen renidere usquequaque te nollem:
Nam risu inepto res ineptior nulla est.
Nunc Celtiber es: Celtiberia in terra
Quod quisque minxit, hoc solet sibi mane
Dentem, atque russam defricare gingivam;
Ut quo iste vester expolitior dens est,
Hoc te amplius bibisse prædicet lotii.

AD SE IPSUM DE ADVENTU VERIS.

10. Jam ver egelidos refert tepores,
Jam cœli furor æquinoctialis
Jucundis Zephyri silescit auris.
Linquantur Phrygii, Catulle, campi,
Nicææque ager uber æstuosæ.
Ad claras Asiæ volemus urbes.
Jam mens prætrepidans avet vagari;
Jam læti studio pedes vigescunt.
O dulces comitum valete cœtus,
Longe quos simul à domo profectos
Diverse variæ viæ reportant.

AD LICINIUM.

1. Hesterno, Licini, die otiosi
Multum lusimus in meis tabellis,
Ut convenerat esse delicatos:
Scribens versiculos uterque nostrum,
Ludebat numero modo hoc, modo illoc,
Reddens mutua per jocum atque vinum.
Atque illinc abii, tuo lepore
Incensus, Licini, facetiisque,
Ut ne me miserum cibus juvaret,
Nec somnus tegeret quiete ocellos;
Sed toto indomitus furore lecto
Versarer, cupiens videre lucem,
Ut tecum loquerer, simulque ut essem.
At defessa labore membra postquam
Semimortua lectulo jacebant,
Hoc, jucunde, tibi poëma feci,
Ex quo perspiceres meum dolorem.
Nunc audax, cave, sis; precesque nostras,
Oramus, cave despuas ocello,
Ne pœnas Nemesis reposcat à te:
Est vehemens Dea; lædere hanc caveto.

AD SE IPSUM DE STRUMA ET VATINIO.

12 Quid est, Catulle, quid moraris emori?
Sella in curuli Struma Nonius sedet:
Per consulatum pejerat Vatinius.
Quid est, Oatulle, quid moraris emori?

AD CORNELIUM.

18. Si quidquam tacito commissum est fido ab amico,
Cujus sit penitus nota fides animi:
Meque esse invenies illorum jure sacratum,
Corneli, et factum me esse puta Harpocratem.

IN COMINIUM.

14. Si, Comini, populi arbitrio tua cana senectus
Spurcata impuris moribus intereat.
Non equidem dubito, quin primum inimica bonorum
Lingua exacta avido sit data vulturio:
Effossos oculos voret atro gutture corvus,
Intestina canes. cætera membra lupi.

ALBII TIBULLI ELEGIÆ.

ELEGIA I. AD MESSALAM.

Ibitis Ægeas sine me, Messala, per undas,
  O utinam memores ipse, cohorsque mei!
Me tenet ignotis ægrum Phæacia terris:
  Abstineas avidas, mors, precor, atra, manus.
Abstineas, mors atra, precor: non hic mihi mater,
  Quæ legat in mœstos ossa perusta sinus:
Non soror, Assyrios cineri quæ dedat odores,
  Et fleat effussis ante sepulcra comis:
Delia non usquam: quæ me quam mitteret urbe,
  Dicitur ante omnes consuluisse Deos.
Illa sacras pueri sortes ter sustulit: illi
  Rettulit e triviis omnia certa puer,
Cuncta dabant reditus; tamen est deterrita nunquam,
  Quin fleret, nostras respiceretque vias.
Ipse ego solator, cum jam mandata dedissem,
  Quærebam tardas anxius usque moras.
Aut ego sum causatus aves, aut omina dira,
  Saturni aut sacram me tenuisse diem
O quoties ingressus iter, mihi tristia dixi
  Offensum in porta signa dedisse pedem!
Audeat invito ne quis discedere amore,
  Aut sciat egressum se prohibente Deo.
Quid tua nunc Isis mihi, Delia? quid mihi prosunt,
  Illa tua toties æra repulsa manu?
Nunc, Dea, nunc succurre mihi: nam posse me deri
  Picta docet templis multa tabella tuis.

Ut mea votivas persolvens Delia voces
  Ante sacras, lino tecta, fores sedeat:
Bisque die, resoluta comas, tibi dicere laudes
  Insignis turba debeat in Pharia.
At mihi contingat patrios celebrare Penates,
  Reddereque antiquo menstrua thura Lari.
Quam bene Saturno vivebant rege, prius quam
  Tellus in longas est patefacta vias!
Nondum cæruleas pinus contempserat undas,
  Effusum ventis præbueratque sinum:
Nec vagus ignotis repetens compendia terris
  Presserat externa navita merce ratem.
Illo non validus subiit juga tempore taurus:
  Non domito frenos ore momordit equus:
Non domus ulla fores habuit; non fixus in agris,
  Qui regeret certis finibus arva, lapis.
Ipsæ mella dabant quercus, ultroque ferebant
  Obvia securis ubera lactis oves.
Non acies, non ira fuit, non bella; nec ensem
  Immiti sævus duxerat arte faber.
Nunc Jove sub domino cædes, nunc vulnera semper
  Nunc mare; nunc leti mille repente viæ.
Parce, pater, timidum non me perjuria terrent,
  Non dicta in sanctos impia verba Deos.
Quod si fatales jam nunc explevimus annos,
  Fac lapis his scriptus stet super ossa notis:
Hic jacet immiti consumptus morte Tibullus,
  Messalam terra dum sequiturque mari.
Sed me, nam casto hæc debentur præmia amori,
  Ipsa Venus campos ducet in Elysios.
Hic choreæ cantusque vigent; passimque vagantes
  Dulce sonant tenui gutture carmen aves.
Fert casiam non culta seges, totosque per agros
  Floret odoratis terra benigna rosis.
At scelerata jacet sedes in nocte profunda
  Abdita, quam circum flumina nigra sonant.
Tisiphoneque impexa feros pro crinibus angues
  Sævit, et huc illuc impia turba fugit.
Tum niger in porta serpentum Cerberus ore

Stridet, et æratas excubat ante fores.
Illic Junonem tentare Ixionis ausi
Versantur celeri noxia membra rota;
Porrectusque novem Tytius per jugera terræ
Assiduas atro viscere pascit aves.
Tantulus est illic, et circum stagna; sed acrem
Jam jam poturi deserit unda sitim;
Et Danai proles, Veneris quæ numina læsit,
In cava Lethæas dolia portat aquas.
Illic sit, quicumque meos violavit amores,
Optavit lentas et mihi militias.
At tu casta, precor, maneas; sanctique pudoris
Assideas custos sedula semper anus.
Hæc tibi fabellas referat, positaque lucerna
Deducat plena stamina longa colo;
Ac circa gravibus pensis affixa puella
Paulatim somno fessa remittat opus.
Tunc veniam subito, nec quisquam nuntiet ante,
Sed videar cœlo missus adesse tibi.
Tunc mihi, qualis eris, longos turbata capillos
Obvia nudato, Delia, curre pede.
Hoc precor: hunc illum nobis aurora nitentem
Luciferum roseis candida portet equis.

ELEGIA II.

Hunc cecinere diem Parcæ fatalia nentes
Stamina, non ulli dissoluenda Deo.
Hunc fore, Aquitanas posset qui fundere gentes,
Quem tremeret forti milite victus Atur.
Evenere; novos pubes Romana triumphos
Vidit, et è vinctos brachia capta duces.
At te victrices lauros, Messala, gerentem
Portabat niveis currus eburnus equis.
Non sine me est tibi partus honos. Tarbella Pyrene
Testis, et Oceani litora Santonici.
Testis Arar, Rhodanusque celer, magnusque Garumna,
Carnuti et flavi cærula lympha Liger.

An te, Cydne, canam, tacitis qui leniter undis
  Cæruleis placidus per vada serpis aquis?
Quantus et, æthereo contingens vertice nubes,
  Frigidus intonsos Taurus arat Cilicas?
Quid referam, ut volitet crebas intacta per urbes
  Alba Palæstino sancta columba Syro?
Utque maris vastum prospectet turribus æquor
  Prima ratem ventis credere docta Tyros?
Qualis et, arentes cum findit Sirius agros,
  Fertilis æstiva Nilus abundet aqua?
Nile pater, quanam possum te dicere causa,
  Aut quibus in terris occuluisse caput?
Te propter nullos tellus tua postulat imbres,
  Arida nec pluvio supplicat herba Jovi.
Te canit, atque suum pubes miratur Osirim
  Barbara, Memphiten plangere docta bovem.
Primus aratra manu solerti fecit Osiris,
  Et teneram ferro sollicitavit humum.
Primus inexpertæ commisit semina terræ,
  Pomaque non notis legit ab arboribus.
Hic docuit teneram palis adjungere vitem:
  Hic viridem dura cædere falce comam.
Illi jucundos primum matura sapores
  Expressa incultis uva dedit pedibus.
Ille liquor docuit voces inflectere cantu,
  Movit et ad certos nescia membra modos.
Bacchus et agricolæ magno confecta labore
  Pectora tristitiæ dissoluenda dedit.
Bacchus et afflictis requiem mortalibus affert,
  Crura licet dura compede pulsa sonent.
Non tibi sunt tristes curæ, nec luctus, Osiri,
  Sed chorus, et cantus, et levis aptus amor;
Sed varii flores, et frons redimita corymbis;
  Fusa sed ad teneros lutea palla pedes;
Et Tyriæ vestes, et dulcis tibia cantu,
  Et levis occultis conscia cista sacris.
Huc ades, et centum ludis Geniumque choreis
  Concelebra, et multo tempora funde mero.
Illius è nitido stillent unguenta capillo,

Et capite et collo mollia serta gerat.
Sic venias hodierne: tibi dem thuris honores,
Liba et Mopsopio dulcia melle feram.
At tibi succrescat proles, quæ facta parentis
Augeat, et circa stet veneranda senem.
Nec taceat monumenta viæ, quem Tuscula tellus,
Candida quem antiquo detinet Alba Lare.
Namque opibus congesta tuis hic glarea dura
Sternitur; hic apta jungitur arte silex.
Te canet agricola, è magna cum venerit urbe
Serus, inoffensum rettuleritque pedem.
At tu, Natalis, multos celebrande per annos,
Candidior semper, candidiorque veni.

ELEGIA III.

Quis fuit, horrendos primus qui protulit enses?
Quam ferus, et vere ferreus ille fuit!
Tunc cædes hominum generi, tunc prælia nata:
Tunc brevior diræ mortis aperta via est.
At nihil ille miser meruit: nos ad mala nostra
Vertimus, in sævas quod dedit ille feras.
Divitis hoc vitium est auri: nec bella fuerunt,
Faginus adstabat cum scyphus ante dapes.
Non arces, non vallus erat; somnumque petebat
Securus varias dux gregis inter oves.
Tunc mihi vita foret, vulgi nec tristia nossem
Arma, nec audissem corde micante tubam.
Nunc ad bella trahor, et jam quis forsitan hostis
Hæsura in nostro tela gerit latere.
Sed patrii servate Lares: aluistis et iidem,
Cursarem vestros cum tener ante pedes.
Neu pudeat prisco vos esse stipite factos;
Sic veteris sedes incoluistis avi.
Tunc melius tenuere fidem, cum paupere cultu
Stabat in exigua ligneus æde Deus.
Hic placatus erat, seu quis libaverat uvam,
Seu dederat sanctæ spicea serta comæ.

Atque aliquis voti compos liba ipse ferebat,
  Postque comes purum filia parva favum.
At nobis ærata, Lares, depellite tela:
  Hostia erit plena rustica porcus hara.
Hanc pura cum veste sequar, myrtoque canistra
  Vincta geram, myrto vinctus et ipse caput.
Sic placeam vobis: alius sit fortis in armis,
  Sternat et adversos, Marte favente, duces;
Ut mihi potanti possit sua dicere facta
  Miles, et in mensa pingere castra mero.
Quis furor est atram bellis arcessere mortem?
  Imminet, et tacito clam venit illa pede.
Non seges est infra, non vinea culta; sed audax
  Cerberus, et Stygiæ navita turpis aquæ.
Illic exesisque genis, ustoque capillo
  Errat ad obscuros pallida turba lacus.
Quam potius laudandus hic est, quem prole parata
  Occupat in parva pigra senecta casa.
Ipse suas sectatur oves, at filius agnos;
  Et calidam fesso comparat uxor aquam.
Sic ego sim, liceatque caput candescere canis,
  Temporis et prisci facta referre senem.
Interea pax arva colat. Pax candida primum
  Duxit araturos sub juga curva boves.
Pax aluit vites, et succos condidit uvæ,
  Funderet ut nato testa paterna merum.
Pace bidens vomerque vigent: at tristia duri
  Militis in tenebris occupat arma situs.
Jam nobis, Pax alma, veni, spicamque teneto:
  Perpluat et pomis candidus ante sinus.

ELEGIA IV.

Quisquis ades, faveas: fruges lustramus et agros,
  Ritus ut à prisco traditus extat avo.
Bacche veni, dulcisque tuis è cornibus uva
  Pendeat, et spicis tempora cinge, Ceres.
Luce sacra requiescat humus, requiescat arator;
  Et grave suspenso vomere cesset opus.

Solvite vincla jugis; nunc ad præsepia debent
  Plena coronato stare boves capite.
Omnia sint operata Deo; non audeat ulla
  Lanificam pensis imposuisse manum.
Pura placent superis: pura cum veste venite,
  Et manibus puris sumite fontis aquam.
Cernite, fulgentes ut eat sacer agnus ad aras,
  Vinctaque post olea candida turba comas.
Dî patrii, purgamus agros, purgamus agrestes,
  Vos mala de nostris pellite limitibus:
Neu seges eludat messem fallacibus herbis,
  Neu timeat celeres tardior agna lupos.
Tunc nitidus plenis confisus rusticus agris
  Ingeret ardenti grandia ligna foco;
Turbaque vernarum, saturi bona signa coloni,
  Ludet, et ex virgis extruet arte casas.
Eventura precor. Viden' ut felicibus extis
  Significet placidos nuntia fibra Deos?
Nunc mihi fumosos veteris proferte Falernos
  Consulis, et Chio solvite vincla cado.
Vina diem celebrent; non festa luce madere
  Est rubor, errantes et male ferre pedes.
Sed, bene Messalam, sua quisque ad pocula dicat
  Nomen et absentis singula verba sonent.
Gentis Aquitanæ celeber Messala triumphis,
  Et magna intonsis gloria victor avis.
Huc ades, aspiraque mihi, dum carmine nostro
  Redditur agricolis gratia cœlitibus.
Rura cano, rurisque Deos: his vita magistris
  Desuevit querna pellere glande famem.
Illi compositis primum docuere tigillis
  Exiguam viridi fronde operire domum.
Illi etiam tauros primum docuisse feruntur
  Servitium, et plaustro supposuisse rotam.
Tunc victus abiere feri, tunc consita pomus,
  Tunc bibit irriguas fertilis hortus aquas.
Aurea tunc pressos pedibus dedit uva liquores,
  Mixtaque securo est sobria lympha mero.
Rura ferunt messes, calidi cum sideris æstu

Deponit flavas annua terra comas.
Rure levis verno flores apis ingerit alveo,
Compleat ut dulci sedula melle favos.
Agricola assiduo primum satiatus aratro
Cantavit certo rustica verba pede:
Et satur arenti primum est modulatus avena
Carmen, ut ornatos diceret ante Deos.
Agricola et minio suffusus, Bacche, rubenti
Primus inexperta duxit ab arte choros.
Huic datus, à pleno memorabile munus ovili,
Dux pecoris hircus: duxerat hircus oves.
Rure puer verno primum de flore coronam
Fecit, et antiquis imposuit Laribus.
Rure etiam, teneris curam exhibitura puellis,
Molle gerit tergo lucida vellus ovis:
Hinc et femineus labor est; hinc pensa colusque;
Fusus et apposito pollice versat opus.
Atque aliqua assidue textis operata Minervæ
Cantat, et applauso tela sonant latere.
Ipse interque greges interque armenta Cupido
Natus, et indomitas dicitur inter equas.
Illic indocto primum se exercuit arcu:
Hei mihi, quam doctas nunc habet ille manus!
Sancte, veni dapibus festis; sed pone sagittas,
Et procul ardentes, hinc procul abde faces.
Vos celebrem cantate Deum, pecorique vocate
Voce; palam pecori, clam sibi quisque vocet:
Aut etiam sibi quisque palam: nam turba jocosa
Obstrepit, et Phrygio tibia curva sono.
Ludite, jam nox jungit equos, currumque sequuntur
Matris lascivo Sidera fulva choro.
Postque venit tacitus fuscis circumdatus alis
Somnus, et incerto somnia nigra pede.

FINIS.

Key of Heaven, 24mo, (Prayer Book). Medium. Prices up from	.60
Key of Heaven, 32mo, (Prayer Book) Small. Prices up from	.50
Kirwan Unmasked. Paper cover. By Abp. Hughes..	.12
La Fontaine's Fables. Red line, gilt edge	1.25
Last of the Catholic O'Malleys	.75
L'Ange Conducteur, (French Prayer Book)	.75
Latin Classics, Expurgated. Volume 1. Net.	.40
Latin Classics, Expurgated. Volume 2. Net	.50
Legends and Fairy Tales of Ireland	2.00
Library of American Catholic History, 3 vols. set	6.00
Library of Catholic Novels, 6 vols per set..	7.50
Library of Catholic Stories, 6 vols "	7.50
Library of Controversy. Clifton Tracts, 4 vols "	3.00
Life of Archbishop Mac Hale. Paper .25, Cloth gilt....	1.00
Life of Christ, by St. Bonaventure	1.25
The same, gilt edges	1.50
Life of Pope Pius IX. By Monsignor B. O'Reilly....	2.50
Life of Robert Emmett. By Madden	1.50
Life of St. Bridget. Paper cover	.10
Life of St. Ignatius, 2 vols. By Bartoli.	3.00
Life of St. Liguori. By Mullock	.50
Life of St. Louis, King of France	.40
Life of St. Mary of Egypt	.60
Life of St. Patrick. By O'Leary, 16mo	1.00
Life of St. Winefride, 18mo. Cloth	.60
Life Stories of Dying Penitents	.75
Lily of Israel, Life of the Blessed Virgin Mary	.75
Little Flowers of Piety, (Prayer Book), 1.75-1.25 and..	.75
Little Follower of Jesus. By Rev. A. M. Grussi	.75
Little Lace Maker or Eva O'Beirne	.75
Little Lives of the Great Saints. By John O'Kane Murray	1.00
Little Man'l Bl. Trinity, (Prayer Book). Prices up from	.75
Little Office of the Immaculate Conception. Per 100 net	2.50
Lives of St. Ignatius and his Companions	.75

Catholic Prayer-Books, 25c., 50c., up to 12 00.

☞ Any of above books sent free by mail on receipt of price. Agents wanted everywhere to sell above books, to whom liberal terms will be given. Address

P. J. KENEDY, Excelsior Catholic Publishing House, *5 Barclay Street, New York.*

